Digitized by Google

Digitized by Google

ENCHIRIDIUM GRÆCORUM,

QUOD

De illorum Dogmatibus, & Ritibus Romanorum Pontificum Decreta Poſt Schiſmatis Epocham edita Nunc primum in unum collecta complectitur,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD

BENEDICTUM XIII.

PONT. OPT. MAX.

BENEVENTI MDCCXXVII.
Ex Typographia Archiepiſcopali.
Superiorum Facultate.

Digitized by Google



Digitized by Google

Beatissime Pater.

S*acrum hoc Enchiridium*, *Græcorum* e manibus nunquam (*ut Auguſtini verba de ſuo Enchiridio loquentis uſurpem*) receſſurum, *dum Sanctitati Tuæ nuncupo & offero*, *fundum Illi offero*,

quem Ipſamet ſuo valeat ſibi jure vindicare. Complectitur ſiquidem ſtatutas a Prædeceſſoribus Tuis leges Collectio iſta; ac præterea Beneventanis Tuis typis evulgatur, quo ipſo tempore inclytam hanc Samnitum Metropolim Sanctiſſimo Tuo conſpectu dignaris, ac propemodum beas; dum nullis ibi Paſtoralis miniſterii laboribus parcens, ſuum illi æquè ac antea vigilem, æquè indefeſſum, ſeu (ut cum Chryſoſtomo loquar) ferreum, atque adamantinum, æquè gregis amantem Archiepiſcopum, veluti poſtliminio reſtituis. Hoc illud eſt, quod dum ipſe præſens oculis meis conſpicio, & impenſæ olim a Sanctitate Tuà incredibili ſtudio Beneventanæ Eccleſiæ ſolicitudinis mihi undique occurrunt monu-

men-

menta, exclamare cogor: Major eſt ſapientia Tua,& opera Tua,quàm rumor quem audivi. *Res verò omnium ſæculorum admiratione dignisſima*, BENEDICTUM XIII. *Beneventanam ſuam Sponſam inviſentem, ſupremum Pontificatum quodammodo exinaniſſe, ut priſtinam Metropolitæ formam præferret: ac Baculum illum, quem per quadraginta fere annos geſtavit, &* in quo (*ut Ipſemet dicere aſſolet*) Jordanem tranſivit, *nec Pontificiis manibus ſuis ſeu indignum, ſeu gravem reputaſſe*.

Porro in hac Collectione edendà eò magis me operæ pretium facturum exiſtimavi, quò certius comperio, haſce Apoſtolicę Sedis leges, quemadmodum Gręcis omnibus, ut Catholi-

cæ veritatis tramiti inſiſtant, ac verè materna erga ipſos RomanæCathedrę viſcera agnoſcant, ita Latinis etiam Paſtoribus, in quorum Diœceſibus Latini Græcique permixti commorantur, magno adjumento futuras, ut in ſacris Græcorum rebus pondus & pondus adhibere diſcant, nec paleam ſimul cum tritico, zizania cum ſegete (quod dum ab aliquibus interdum factum dico, dolenter potius, quàm contumelioſè dico) eradicare contendant; imò verò ea probent, ea tolerent, ea damnent, quæ probari, quæ tolerari, quæ damnari, Romanorum Pontificum magiſterio edocti cognoverint.

Id ipſum Sanctitas Tua ſuomet exemplo demonſtravit; quandoquidem ad earumdem legum normam

præſcripſit, quotquot de Græcorum ſuà in Provincià degentium Dogmatibus, & Ritibus edidit Decreta in Provinciali Synodo Beneventanà; quippe quæ primævas Græci Ritus obſervantias veneratione proſequens, magnam in evellendis, qui in illum irrepſerant, abuſibus diligentiam adhibuit. Compertum ſiquidem habeo (nam Ipſamet narrare dignata eſt) Sanctitatem Tuam olim per Epiſcopi Tui Comprovincialis Diœceſim iter habentem, duos ibi graviſſimos errores deprehendiſſe, ac vehementer redarguiſſe; quòd nimirum a Græco Presbytero Græci infantes ſacro chriſmate unà cum baptiſmo linirentur, iidemque novam poſtea ab Epiſcopo Latino unctionem acciperent; deinde quòd Latinus Epi-

 ſco-

ſcopus Græcos ſibi ſubditos minoribus ordinibus Latino ritu initiaret, ac pro majoribus dumtaxat obtinendis Romam ad Græcum Antiſtitem dimitteret. Præterea in ipſamet Suà Archidiœceſi egregiè laboravit, ut Græci ad eamdem pertinentes ſacras imagines anaglyptico opere fabrefactas, quas maximè abhorrebant, domi admitterent; utque ſponſi ab Eccleſià celebrato matrimonio regredientes, a quibuſdam ineptis ac ſuperſtitioſis ante ędium ſuarum fores cęrimoniis, quibus aſſueverant, abſtinerent.

Ad eas ipſas leges in Corcyrenſi Eccleſià gubernandà ipſe quoque unicè reſpiciens, gloriari in Domino valeo, mei illius regiminis formæ, quam Sanctitati Tuæ per literas re-

pra-

præſentandam duxi, luculentam Apoſtolici Brevis commendationem acceſſiſſe: cui nuperrimè Sacra Congregatio Tridentini Concilij Interpres, ac Vindex calculum ſuum adiecit.

Ceu novum Paſtoralis meæ ſolicitudinis atque dilectionis pignus utinam Græcorum natio Enchiridium hoc libens amplectatur, atque Apoſtolica, quæ in eo colliguntur, oracula veneretur; quod ut verè contingat, Sanctitatis Tuæ merita, ac vota a D. O. M. exoratura confido.

SANCTITATIS TUÆ

Servus, ac Filius
Angelus Maria Archiep. Corcyrenſis

AD LECTOREM.

UT paucis te morer, facit expoſitus jam in ſuperiori Epiſtolà ſcopus hujus Collectionis; faciunt etiam, quæ mox ſequuntur, documenta in eà Epiſtolà indicata, ac magnopere argumento inſervientia, ut ipſe facilè dignoſces. In his verò dum præſtita a me in Corcyrenſis Eccleſiæ regimine opera commendatur, optimè intelligo, quàm valde cavere debeam, ne Gregorii M. in Epiſtolà ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum mihi quoque aliquà ratione illud aptetur: *Quòd verò me os Domini, quòd lucernam dicitis, quòd multis prodeſſe perhibetis, hoc mihi ad iniquitatum mearum cumulum accedit, ut cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindictà recipiam.*

Documenta illa ſubſequetur Breve Pauli V. ad Ruthenos, cui locum in hac Collectione, licet extra ordinem, aſſignare operæ pretium exiſtimavi, propterea quod ea gens Græcum Ritum ſequatur. Vale.

BEATISSIME PATER.

Corcyræ III. Non. Januar. MDCCXXV.

QUamvis SANCTITATI VESTRAE operà Cardinalis Ptolomæi non multis ab hinc hebdomadis aperuerim, quàm fauſta quàm auſpicata hujuſce mei primordia regiminis ſuperna benignitas efficiat, in eo præſertim negotio, quo nihil magis arduum atque moleſtum Deceſſorum meorum que-

Digitized by Google

querelæ comprobarunt, eà inquam conſuetudine, quam hìc loci ex veteri more ſacris etiam in rebus cum Græcis retinemus; audeo tamen Pedes Tuos ipſemet adire, ibique literas haſce meas, ceu novum ac luculentius ejuſdem rei teſtimonium, venerabundus collocare. Solicitudo omnium Eccleſiarum, in quam Romanæ Cathedræ divino prorſus conſilio præpoſitus, pro muneris Tui ratione ſtudioſiſſimè incumbis, magna quà Epiſcopalem gradum dignaris æſtimatio, ſingularis Tua erga omnes facilitas atque humanitas, negotii gravitas, denique memorati Cardinalis impulſus, veniam mihi, ut ſpero, impetrabunt, ſi ad celſiſſimum Dignitatis Tuæ faſtigium rectà accedere non dubito.

Equidem, Beatissime Pater, tam amplam in iſto cum Græcis negotio facit mihi Dominus miſericordiam, dum aſpera in vias planas convertit, ut regiminis hujus ſarcina, quam maximo-

pe-

pere humeris nondum ſuppoſitis formidabam, ſuavis jam & levis videatur. Quocirca alia etiam hujuſce Sedis incommoda, videlicet magna ab Italiæ continenti ſejunctio, perhorreſcenda Ottomanorum vicinia, imminens contagionis, cui Orientalis hæc regio maximè patet, periculum (quorum imago cùm olim oculis meis oberraret, graviſſimo mœrore preſsus, valedicto Romanæ Sedis ſervitio, cui a multis annis ſtudia mea pluribus titulis mancipata mirificè gaudebam, huc appuli) ea inquam & alia hujuſce generis incommoda animum meum in præſentià non modò non conturbant, ſed ne leviter quidem afficiunt.

Certum itaque Sanctitati Vestrae affirmo, Græcos hujus Inſulæ, quos Deceſſores mei adversùs dignitatem ac poteſtatem ſuam, Latinique gregis commoda protervos admodum atque feroces experiri viſi ſunt, modò benedicente Domino, perinde ac ſi ingenium

aliud

aliud induerint, non tantùm ab eà protervià multùm abeſſe, ſed obſervantiam erga me ſuam, ne dicam morigerationem, apertioribus in dies argumentis declarare: quæ cujuſmodi ſint in literis ad Cardinalem Ptolomæum fuſius deduxi. Inter quæ plurimi faciendum reputo, morem regnantis pro tempore Romani Pontificis laudes in aulà Epiſcopii bis in anno decantandi longè ſolemnius quàm antea inſtauratum, cùm illi celebritati magnus Græcorum Præſul intereſſe non amplius dedignetur.

Novum verò ac prorſus ſingulare propenſæ erga me voluntatis documentum iidem Græci paucis ab hinc diebus exhibuerunt, dum ad primarium eorum Templum Sancto Spiridioni dicatum, non privatim, quemadmodum proximiores ex Deceſsoribus meis facere cogebantur, ſed publicè, uti veteres plerique omnes, Græco ipſo Magiſtratu deducente accedens

a-

adeo honorificè exceptus ſum, perinde ac ſi ad Cathedralem meam Eccleſiam acceſſiſsem. Adfui ſiquidem ibi cum Cathedrà, cum Throno, cum Cruce Archiepiſcopali erectà, dum Græcus Præſul exiguà in ſede conſideret, eà ipsà, quam veteres Deceſſores mei occupantes, illius tantùm loci honore contenti eſse jubebantur. Nec defuit recitata ex ſuggeſtu a celebriore inter ipſos Oratore Græco idiomate Oratio, quà acceſsum illum meum mirificè celebrarunt.

Pro comperto habeo, Beatissime Pater, ipſe atque unà mecum quotquot in hac Inſulà degunt, inſuetam hanc Græcorum erga Latinum Antiſtitem obſervantiam, poſt Deum Optimum Maximum primò deberi ſummæ illi venerationi, quam Sanctiſſimo Beatitudinis Veſtræ nomini, eiuſque immenſis virtutibus profitentur; eoque magis quòd iiſdem certò conſtet, a Sanctitate Veſtrà Græcum ritum ſingu-

gu-

gularis dignationis prærogativà honorari. Aliquatenus etiam deberi non negem, tenui illi, quam a teneris annis comparavi, Græcæ linguæ intelligentiæ, ex quà idoneus reddor, Græcos Patres in ipſo fonte conſulere, ac pro modulo meo interpretati, & inſuper in annunciando e ſuperiori loco Dei verbo (quod omnibus generatim diebus, quibus Pontificaliter celebro, facere inſtitui, fecique per integrum proximè præteritum Adventum) Græcos textus Græco ipſo idiomate pronunciare, unde ejus gentis, quæ frequentiſſima una cum Latinorum grege ad eas conciones concurrit, plauſus & benevolentia mirum in modum mihi conciliatur. Demum debetur rationi illi, quam pro devinciendis primariis militiæ Ducibus, quorum hodie ſedes Corcyra, inivi; ſi qua enim cum illis de libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ tuitione intercedit controverſia, omni ope enitor, ne ea ad apertam ſi-

mul-

mulràtem erumpat, ac Deo opitulante in ſpiritu lenitatis tantùm proficio, quantùm aſperitas Græcis ipſis prodeſſet; quippe qui, ut ex lugubri præteritorum temporum documento conſtat, non aliam opportuniorem Latinos inſectandi occaſionem captare conſueverunt, quàm hujuſmodi diſſenſionum inter Sacerdotium, & Imperium. Eam tamen manſuetudinem ita profiteor, ut unà ſimul paratum me quiſquis intelligat, acrius pro Eccleſià certare; & me ipſum pro eà murum opponere, quoties cognovero hoc ad ovium ſalutem & Chriſti gloriam expedire.

Unum eſt, Beatissime Pater, quod recèns emergens eximiæ Sanctitatis Tuæ ſapientiæ ſubjicio, & in eo Apoſtolicum oraculum ſupplex exquiro. Ægro animo Deceſſores mei ferebant, Antiſtites Græcos huc, quod ſæpe ſæpius contingit, adventantes, Clericorum ſuæ gentis Ordinationes ita ſibi vindicare, ut nulla in eo negotio Latinornm Ar-

chiepiſcoporum ratio haberetur, illatumque eà licentià poteſtàti ſuæ vulnus quoquo modo, at incaſſum, avertere conabantur. Paucis ab hinc diebus Athanaſius Græcus Metropolita, quo in eiſdem Ordinationibus adminiſtro Magnus hujus Inſulæ Præſul uti conſuevit, ut primùm accepit hac in re pares mihi eſſe cum Deceſſoribus meis ſenſus, eos illico reveritus palam profeſſus eſt nullas ſibi in Ordinationibus partes ſumpturum, niſi mea quoque accederet aſſenſio; ac proinde in utrumque ſe eſſe paratum vel omnino ab Ordinationibus abſtinere, vel eas non tam ſuà, Magnique illius Præſulis, quàm meà auctoritate peragere. Demirati ſumus omnes inſuetam prorſus inviſamque huic genti erga Latinum Antiſtitem ſubjectionem; majoremque adhuc admirationem commovit, quòd eam ipſe Græcorum Præſul lubenti animo ratam habuerit, ac inſuper declaraverit, ne-

mi-

minem impoſterum ſuis literis pro ſacris Ordinibus in hac Inſulà recipiendis munitum iri, ni prius Græcum Antiſtitem ad id muneris mea quodammodo delegaret voluntas. Verùm enimvero, Beatissime Pater, quamvis ſubjectio iſta grata mihi admodum contingat, ad quam nimirum omni ſtudio Deceſſores mei aſpirarunt, nec eam conſequi unquam valuerunt, videor tamen mihi in ſcopuloſo difficilique loco verſari, dum penitus ignoro, an expediat Græcis Ordinationibus in hac Inſulà aditum omnem præcludere, vel earum poteſtatem illius gentis Præſulibus facere, cum debità erga Latinum Archiepiſcopum reverentià. Ut tamen Sanctitati Veſtræ verum fatear, poſtrema hæc conditio animò magis meo arrideret, ac propterea Formulam jam ſeu literas concepi, quibus prædictam facultatem memorato Metropolitæ demandari poſſe putarem. En has ipſas Tibi, Sanctissime Pater, exhibeo, enixiſſimè poſtulans, ut quid

mihi hac in re conſilii capiendum ſit, pro ſapientià, & auctoritate ſuà indicare non dedignetur. Nulla res ad ſtadium, quod ingreſſus ſum, fortiter percurrendum majores mihi animos addet, quàm ſi in locis maximè lubricis Apoſtolicorum Reſcriptorum adminiculum, ad quod tenuitas mea adnitatur, minimè defuturum intellexero.

Finem faciam verba illa uſurpans, quibus Concilii Milevitani Patres ad Innocentium Primum ſcribentes uſi ſunt: *Quia Te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolicà collocavit, talemque noſtris temporibus præſtitit, ut nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud Tuam Venerationem, quæ pro Eccleſiâ ſunt ſuggerenda, tacuerimus, quàm ea Tu poſſis vel faſtidiosè vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum paſtoralem diligentiam, quæſumus adhibere digneris.*

Deus

Deus Optimus Maximus Sanctitatem Veſtram diu ſervet incolumem ſummo Eccleſiæ bono. Ita ex animo opto, ac ſacros Pedes Tuos deoſculor

SANCTITATIS VESTRÆ

Servus et Filius
Angelus Maria Archiep. Corcyren.

BENEDICTUS PP. XIII.

VEnerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Præclaras virtutes Fraternitatis tuæ cum generis ornamentis & exquiſità literarum doctrinarumque, ſacrarum præſertim, cognitione conjunctas, ad Eccleſiæ Tibi creditæ utilitatem plurimum profecturas jam antea pro certo habebamus. Hanc autem jucundiſſimam perſuaſionem amplius Nobis affirmarunt literæ tuæ, quibus Græcorum iſtic degentium erga Te ſtudia & ſingularem obſequii alacritatem nun-

ciaſti. Quam quidem ad Catholicæ veritatis & unitatis fructum charitati & vigilantiæ tuæ viam aditumque munire non dubitamus. Quòd verò de eorundem ordinationibus apoſtolicæ noſtræ ſervitutis officium requirendum cenſuiſti, a dilecto Filio noſtro de hac Sanctâ Sede egregiè merito Ioanne Baptiſta S.R.E Cardinali Ptolomæo accipies, quo Te pacto gerere debeas, ut tuam Nobis ſolertiam, & Chriſto Paſtorum Principi Epiſcopalem vigilantiam magis adhuc probare poſſis. Ceterùm paternam erga Te benevolentiam rebus ipſis, ubi ſe opportunitas ſuggeret, declarare ac Fraternitati tuæ teſtatam facere vehementer optantes, Tibi, Venerabilis Frater, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Do.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXX. *Januarii* MDCCXXV. *Pontificatus Noſtri Anno Primo.*

C. *Archiepiſcopus Emiſſenus.*

Digitized by Google

PEr Illuſtris, & Reverendiſſime Domine uti Frater. Magno ſanè bono Latinæ Corcyrenſis Eccleſiæ contigiſſe putat Sacra Congregatio, legum Tridentinarum vindex, quòd eidem Amplitudo tua moderandæ præfecta fuerit. Plura ſiquidem in te conveniunt, quæ ipſius dignitatem utilitatemque facilè tueri poſſunt. Nam præter illa, quæ tamen præcipua ſunt, paſtoralem ſolicitudinem, vigilantiam, doctrinam, induſtriam prudentiam, accedunt alia, quæ hujuſmodi exercendis virtutibus iter ſternunt ac muniunt. Splendes ipſe Familiæ decore, unde a Magiſtratibus, militiæque Ducibus exiſtimatio, a Civibus reverentia conciliatur; Græcæ linguæ peritià, quæ plurimum confert ad ejus alliciendam gentis benevolentiam; morum ſuavitate, quà plerumque flectuntur animi; legumque ſeveritas, ne moleſtiam exhibeant, emollitur. Hæc feliciſſimo nexu in te conjuncta, non otio langueſcere ſed in tui Gregis emolumentum ſedulo ſtudio

dio vertere voluiſti. Quantum verò iſt hinc emerſerit bonæ frugis, luculenter Sacra Congregatio ex his literis cognovit, quas de rebus apud vos ſacris ad ſe dediſti. Et magnà quidem lætitià perfuſa eſt, certior reddita, nullà te juris dicundi controverſià, quà nihil ad alienandos animos, turbandamque religionem periculoſius, fuiſſe divexatum; Græcos amore atque obſequio ſic tibi obſtrinxiſſe, ut id publicis etiam monumentis mandare poſterorum memoriæ, conſilium cæperint; factà inde quoque non levi ſpe, poſſe aliquando e ſchiſmatis caligine in veræ fidei lucem prodire, poſito, quo penitus obcæcantur, partium ſtudio. Æquè ſimul reliquà tuà paſtorali ſolicitudine quàm maximè delectata eſt Sacra Congregatio. Clerum quippe doctrinà, honeſtis moribus, externo quoque veſtium decore adeo ſulgere ſtudes, ut Latinorum diſciplinæ majeſtas æmulis Græcis latè pateat. Diæceſim obiiſti, optimis, quas memoras, legibus Ovium ſaluti, divinis in choro canendis laudibus, religionis incremento conſuluiſti. Sæpius e

ſu-

ſuperiori loco conciones ad populum habuiſti. Nihil denique a te prætermiſſum, quod ſolertem vigilemque Antiſtitem deceat. Itaque, vel me tacente, exiſtimare debes, non modò Sacræ Congregationi probatam fuiſſe operam tuam, ſed vehementer commendatam, maximoque habitam pretio. Hæc ejus nomine ad tuas litteras. Dabo ego operam officiis omnibus, ut mea erga te benevolentiæ, ſtudiique certus, & compos ſias.

AMPLITUDINIS TUÆ

Romæ 22. Martii 1727.

Uti frater ſtudioſus

C. Cardinalis Origus Præfectus.

P. Archiep. Epiſc. Anconæ Secret.

PAU-

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

SOlet circumſpecta Romani Pontificis providentia, ſiquæ aliquando ſuper literis ab Apoſtolicà Sede emanatis dubia oriuntur, ſuæ declarationis oraculo tollere, & aliis providere, pro ut temporum, & perſonarum qualitatibus debitè penſatis conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Aliàs ſiquidem Fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter, bonæ m. Michaelem Archiepiſcopum, & Metropolitam Kijovienſem, ac Halicienſem totius Ruſſiæ, & cum eo pleroſque ejus Comprovinciales Epiſcopos, & alios tunc expreſſos unà cum omni eorum Clero, & populo Nationis Ruthenæ, ſeu Ruſſæ, quæ cum Romanà Eccleſià non communicabat, ſed Græcorum ſchiſma ſequebatur, intra gremium Eccleſiæ Ca-

tho-

tholicæ, & unitatem S. R. E. uti membra ſua in Chriſto ſub certis, modo, & formà recepit, univit, adjunxit: annexuit, & incorporavit, proùt in dicti Clementis Prædeceſſoris, ſub plumbo deſuper ſub Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ MDXCV. Decimo Calend. Januarii. Pontificatus ſui Anno quarto expeditis literis pleniùs continetur. Cùm autèm ſicut vener.Fr.Joſephi Archiepiſcopi nomine Nobis nuper expoſitum fuit, non deſunt, qui veritatis ignari, aut ab aliis in errorem inducti ſibi perſuadeant, Romanam Eccleſiam per unionem præmiſſam, eorum ritus, & cæremonias in divinis Officiis, & Sacramentorum adminiſtratione tollere, & extinguere voluiſſe, unde ſcandalum multorum provenire dignoſcitur: ea propter Nos ex Paſtoralis Officii debitò, inimicò homini bono ſemini ſuperſeminanti zizania occaſionem auferre, & errorem ejuſmodi ex mentibus hominum evellere, ac ſcandalis occurrere volentes, necnon litterarum præfatarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes ſupplicationibus dicti Joſephi Archiepi-

ſco-

ſcopi nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, omnes ſacros ritus, & cæremonias, quibus Rutheni Epiſcopi, & Clerus juxta Sanctorum Patrum Græcorum inſtituta in divinis Officiis, & Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio, cæterorumque Sacramentorum adminiſtratione, aliiſque ſacris functionibus utuntur, dummodo veritati, & doctrinæ Fidei Catholicæ non adverſentur, & communionem cum Romanà Eccleſià non excludant, per unionem præmiſſam tollere, aut extinguere Eccleſiæ Romanæ intentionem, mentem, & voluntatem non fuiſſe, nec eſſe, neque id dici, vel cenſeri potuiſſe, nec poſſe, quinimmò dictos ritus eiſdem Ruthenis Epiſcopis, & Clero, ex Apoſtolicà benignitate permiſſos, conceſſos, & indultos eſſe, ſicut ex literis prædictis, & Concilio Florentino apparet, & ex inſtituto Collegii Græcorum Urbis noſtræ, nec non Alumni de ritibus hujuſmodi ſervandis, ſicut accepimus, iuramentum præſtant, Apoſtolicà auctoritate tenore præſentium decernimus, & declaramus: Non obſtantibus Conſtitutio-

tio-

tionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die X. Decembris MDCXV. Pontificatus noſtri Anno VI.

S. Sobellutius.

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Phil. Epiſc. Targen. Vic. Gener.

Digitized by Google

HADRIANUS PRIMUS

Ad Hincmarum, & ceteros Epiſcopos in Regno Caroli conſtitutos.

De jejunio in ſabbatis. De Spiritus ſancti proceſſione. De nuptiis presbyterorum. De chriſmate. De abſtinentia ante paſcha. De agno paſchali. De barbis clericorum. De epiſcopo per ſaltum ordinato. De traditionibus eccleſiæ Romanæ abſque veterum Græciæ doctorum contradictione cuſtoditis. De primatu Romanæ ſedis haud quaquam Conſtantinop. translato.

OMnium nos portare onera qui gravantur, imo hæc in nobis portare beatiſſimum Petrum, qui nos adminiſtrationis ſuæ protegit ac tuetur heredes, fraternitas veſtra liquido

novit. Veruntamen inter alia, quæ nos immenſis laboribus inſerunt, illa nos præcipue commovere videntur, quæ nobis, imo univerſæ occiduæ parti, a Græcorum imperatoribus, Michaele ſcilicet & Baſilio, & ab his qui ſibi parent, nequiter ingeruntur. Hi enim odio & invidia contra nos inflammati, quæ inferius annotabimus, nobis quaſi crimina hæreſeos impingere moliuntur, &c. Conantur enim tam noſtram ſpecialiter, quam omnem generaliter, quæ lingua Latina utitur, eccleſiam reprehendere, quod jejunamus in ſabbatis, quod Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedere dicamus, cum ipſi hunc tantum ex Patre procedere fateantur. Dicunt præterea nos abominari nuptias, quia presbyteros ſortiri conjuges prohibemus; & inſimulare tentant, quoniam eoſdem presbyteros chriſmate linire baptizatorũ frontes inhibemus: quod tamen chriſma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur. Reprehendere nihilo minus

moliuntur, eo quod octo hebdomadibus ante paſcha a carnibus, & ſeptem hebdomadibus a caſei & ovorum eſu more ſuo non ceſſamus. Mentiuntur quoque nos, ſicuti per alia ipſorum conſcripta indicatur, agnum in paſcha, more Judæorum, ſuper altare pariter cum dominico corpore benedicere & offerre. Quin & reprehendere ſatagunt, quia penes nos clerici barbas radere ſuas non abnuunt, & quia diaconus non ſuſcepto presbyteratus officio apud nos epiſcopus ordinatur; cum ipſi etiam illum, quem patriarcham ſuum nominant, ex laico ſubito tonſuratum ac monachum factum ſaltu ad epiſcopatus apicem imperiali favore ac brachio provehere, ut ipſi putant, minime formidaverint, &c. Quanto autem livore, quantaque vecordia, jam deſignati Græcorum principes, eorumque ſatellites, adverſus nos, pro eo quod ſuis noluimus parere illicitis animoſitatibus, armati ſint, in eo manifeſte datur intelligi, quod aut falſa ſunt,

quæ nobis impingere moliuntur , aut certe jam a priſco tempore ſine cujuſquam contradictione in eccleſia Romana, imo in tota occidentali parte , hactenus cuſtodita:& cum floruerint etiam apud ipſos magni doctores eccleſiæ,nullus tamen eorum de his reprehenſionem fecit,niſi hi qui non zelo juſtitiæ fervidi, ſed zelo invidiæ perculſi , eccleſiæ lacerare traditiones anhelant . Præcipue cum de jejunio ſabbati tempore S.Silveſtri confeſſoris Chriſti ſit ſatis diſcuſſum & diſputatum,atque ut celebraretur per omnia definitum,nulluſque poſt hæc auſu temerario contra illud ſtatutum venire, aut ſaltem mutire præſumpſerit:cum potius e diverſo ſedis apoſtolicæ inſtitutio , & eccleſiæ Romanæ ſequens obſervantia,ejuſdem ſalutiferi conſtituti executrix fuiſſe hucuſque reperiatur . Præterea de proceſſione Spiritus ſancti quis neſciat illuſtres viros, & præcipue Latinos , nonnulla ſcripſiſſe , quorum fulti auctoritatibus , iſtorum oppido ſane reſpon-

ſpondere poſſemus inſaniæ, ſi vel illis nos reprehendendi, vel nobis eis contentioſa fauce gannientibus rationem reddendi conſuetudo quælibet extitiſſet? Sed quid mirum ſi hoc iſti prætendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe imperatores Conſtantinopolim ſunt tranſlati, tunc & primatum Romanæ ſedis ad Conſtantinopolitanā eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regiis etiam eccleſiæ Romanæ privilegia translata fuiſſe?

LEO IX.

Ad Michaelem Conſtantinopolit. Patriarcham.

De azymis. De eccleſiis, & monaſteriis Latinorum clauſis penes Græcos. De eccleſiis & monaſteriis Græcorum florentibus intra & extra Romam. Quod diverſæ pro loco & tempore conſuetudines nihil obſint. De cavillationibus ad epiſcopos Apulos ſcriptis; & earum refutatione.

IN terra pax hominibus bonæ voluntatis, &c. Tu, cariſſime nobis, & adhuc dicende in Chriſto frater & antiſtes Conſtantinopolitane, tuque Leo Acridane, dicimini apoſtolicam, & Latinam eccleſiam nova præſumptione, atque incredibili audacia, nec auditam nec convictam palam damnaſſe, pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem dominicæ paſſionis celebra-

lebrare, &c. Ecce jam poſt mille ac ferme viginti a paſſione Salvatoris noſtri annos, incipit per vos diſcere Romana eccleſia, qualiter memoria paſſionis ejuſdem ſit recolenda, quaſi nil ei contulerit præſentia, converſatio, & diuturna inſtitutio, ſeu, qua clarificavit Deum, mors pretioſa illius venerabilis ſenis, cui ſpecialiter Chriſtus Filius Dei vivi dicit: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cælis, &c.* Quapropter a tanta amentia jam reſipiſcite, & Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiariores diſcipulos, inſtitutioniſque ejus devotiores ſectatores ceſſate ſubſannando azymitas vocare, aut eccleſias illis denegare, ſeu tormenta, ſicut cœpiſtis, inferre, ſi vultis nunc & ſemper pacem, & portionem cum Petro habere. Ut enim fertur, omnes Latinorum eccleſias penes vos clauſiſtis, monachis monaſteria & abbatibus tuliſtis, donec veſtris viverent inſtitutis.

Ecce in hac parte Romana eccleſia quanto diſcretior, moderatior, & clementior vobis eſt! Siquidem cum intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monaſteria ſive eccleſiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, ſive ſua conſuetudine: quin potius ſuadetur & admonetur eam obſervare. Nec enim animoſitatem impiæ hæreſeos habet, quæ ſemper diviſione gaudet, dicens per patricidam meretricem: *Nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur:* ſed pietate veræ matris ſic Salomonem deprecatur: *Obſecro, Domine, date huic infantem vivum, & nolite interficere eum*. Scit namque, quia nil obſunt ſaluti credentium diverſæ pro loco, & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ poteſt, uni Deo commendat omnes, &c. Sed quia jam nunc videmur digreſſi modum epiſtolæ, alio exordio congruum cenſuimus reſpondere veſtræ calumniæ, quam con-

fra-

fratribus & coepiſcopis noſtris Apulis, ſcriptam ad ſugillationem noſtri azymi, & prædicationem veſtri fermenti, non dubitaſtis dirigere. Inter hæc dirigimus veſtris cavillationibus refragantia venerabilium patrum noſtrorum aliqua ſuper his ſcripta: deinde, ut Deus inſpirabit, noſtra reſcripta, quatenus multipliciter veſtra retundantur & retro ferantur jacula, & quem non vultis feriant.

ALIA EJUSDEM AD EUMDEM

De Græcorum calumnia adverſus azyma Latinorum poſt 1020. *annos a paſſione Salvatoris intentata. De pane, quo Chriſtus myſterium ſui corporis commendavit.*

SCripta tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos pervenerunt, in quibus ad maxime neceſſarium omnibuſque Chriſti fidelibus amplectendum bonum concordiæ & unitatis exhortari ſtudes:

qua-

quatenus poſt nimium longas & pernicioſas diſcordias, filia ex propriæ matris reconciliatione exultet, &c. Illud autem quis non ſtupeat, quod poſt tot ſanctos & orthodoxos patres, per mille & viginti a paſſione Salvatoris annos, novus calumniator eccleſiæ Latinorum emerſiſti, anathematizans omnes, & publicam perſecutionem excitans, quicumque participarētur ſacramentorum ex azymis? Quam præſumptionem tuam & fama nobis obtulit, & literarum ſub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifeſtavit: quæ violenter adſtruere conantur fermentatum panem fuiſſe, quo Dominus apoſtolis ſuis corporis ſui myſterium in cœna commendavit. Quod omnino falſum eſſe ex utroque teſtamento facile deprehenditur.

GRE-

GREGORIUS VII.

Ad Synnadenſem Archiepiſcopum.

Dolet Pontifex Armenorum eccleſiam in pravas exorbitaſſe ſententias; necnon azymorum cauſa a Græcis imperitis de hæreſi reprehendi. Græcorum fermentatum nec vituperandum, nec reprobandum.

SUmmæ ſedis ſpecula, cui, Deo auctore, licet indigni præſidemus, ac univerſalis eccleſiæ ſolicitudo, quam ipſius diſponente providentia gerimus, compellit nos ſicut de illorum, qui ſe a Chriſti corpore ſeparant, perditione vehementer dolere, ita quoque de eorum, qui recta ſentiunt, & unitatem fidei ſervare noſcuntur ſalutari conſenſu, ineffabili lœtitia congratulari. Proinde quoniam veſtram, ſcilicet Armenorum, eccleſiam a rectitudine fidei, quam ab apoſtolis & ſanctis patribus traditam

tam univerſalis eccleſia tenet, in quaſdam pravas exorbitaſſe ſententias nobis relatum eſt, profecto nimium paterni affectus compaſſione doluimus, &c. Quapropter fraternitas tua eccleſiæ cujus ſibi cura commiſſa eſt tenendum putet, & credat ſufficere, quod catholica in orbem terrarum diffuſa eccleſia Spiritu ſancto illuſtrante edocta ſentire cognoſcitur, & tenere declaratur. De reliquo quia cognovimus eccleſiam veſtram azyma ſacrificare, & ob hoc a Græcis dumtaxat imperitis quaſi de hæreſi reprehendi, volumus vos de temeraria garrulitate illorum multum mirari, ſed nec ab inſtituto deſiſtere: ſcientes eorum procacitatem non modo nobis hanc velut calumniam obiicere, verum etiam ſimili de cauſa, graviori vero injuria, hucuſque contra ſanctam Romanam eccleſiam inſurgere, &c. Et illi quidem ſuum fermentatum commendantes, reprehenſionis in nos leviſſima verba contumaciter jaculari non de-

deſinunt. Nos vero azymum noſtrum inexpugnabili ſecũdum Dominum ratione defendentes, ipſorum fermentatum nec vituperamus, nec reprobamus.

CŒLESTINUS III.

Hydrontino Archiepiſcopo

Tit. De Temporibus Ordinationum.

Ordines ſacri certis temporibus conferendi. Clericus Latinus a Græco epiſcopo in ſacerdotem promotus, ab ordinario ſuſpenditur. De antiqua quoad hoc obſervantia in partibus Calabriæ cognitionem demandat pontifex archiepiſcopo Hydrontino. Prohibetur de cetero commixtio rituum.

CUm ſecundum eccleſiaſticas regulas & ſanctorum inſtituta pontificum, ſacri ſint ordines in certis temporibus conferendi, quidam Græci epiſcopi ritus ſui & conſuetudinis obſervan-

tiam

tiam in Latinos clericos exercentes, eos ad ſacros ordines paſſim provehunt, qui non ſunt præterquam in quatuor temporibus conferendi. Sane ſicut latoris præſentium I. relatione cognovimus, quod cum ipſe a quodam domino cui ſervierat, & ut in capella ſua divina officia celebraret, cuidam Græco epiſcopo foret præſentatus; idem epiſcopus Cathamarſen. (*l. Carpenſis*) eum in ſacerdotem promovit, quem poſtmodum diœceſanus epiſcopus ab executione officii, vel ſuſcepti ordinis credidit ſuſpendendum. Quæ utique conſuetudo conſuetudini eccleſiaſticæ inimica, & deteſtabilis eſt, & penitus improbanda: & niſi multitudo & antiqua conſuetudo eſſet in cauſa, ſic ordinati non deberent permitti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Nam apud nos ſic ordinati deponerentur, & ordinantes auctoritate ordinandi de cenſura canonum privarentur. Verum quia nos plenam de Græcorum obſervantia notitiam habere non poſſumus

mus, nec eſt nobis certum, utrum conſuetudo ſic ſe habeat, quod in partibus Calabriæ ut Latini a Græcis, & Græci a Latinis ſecundum alterutrius inſtitutionis obſervantiam ordinentur, & an ſit antiquitus obſervatum: fr. tuæ quæ diſcernere melius iſta poterit, ejuſdem Joannis judicium duximus committendum: per apoſtolica ſcripta mandantes, & poteſtatem tibi auctoritate præſentium indulgentes, ut cognita diligentius veritate, & obſervantia conſuetudinis, ſi qua ſuper his a Latinis clericis recepta eſt, & hactenus approbata; vel ſi tibi apparverit aliter diſcernere de ipſo Joanne, quod cum ſalute animæ tuæ poteris, ceſ. ap. diffugio ſtatuere non moreris; ſtudioſius attendens, utrum reordinandus ſit, an ſine periculo animæ tuæ in ſic recepto ordine debeat celebrare, addito ſi quid noveris in ſupplemento ordinum adjungendum. Nolumus autem de cetero commixtiones rituum, & conſuetudines ordinum obſervari,

vari, nec ſumi ab aliis exemplum, ſi cum iſto duxeris miſericorditer diſpenſandum.

INNOCENTIUS III.

C. Presbytero Apoſtolicæ ſedis Legato.

Sub eodem Titulo.

Clerici Græci ab epiſcopis ſuis in diœceſibus Latinorum ordines ſuſcipientes, a Latinis ordinariis debent ſuſpendi, niſi horum licentia interceſſerit. Latini ordinarii clericis ſuis eam licentiam dantes culpantur.

QUoad translationem pontificis. *Et infra.* Super eo vero quod nos cõſulere voluiſti, quod multi Græcorum clerici conſiſtentes in diœceſibus Latinorum, ab epiſcopis Græcis non in quatuor temporibus interdum omnes ordines ſimul, nonnunquam partem recipiunt, qui poſtmodum prohibentur a

La-

Latinis epiſcopis celebrare . Conſultationi tuæ taliter reſpondemus , quod cum clericus Græcus epiſcopo Latino ſubjectus a Greco pontifice ordinatur , niſi de mandato vel licentia ſui epiſcopi fiat , interdicenda eſt ei ordinis executio ſic ſuſcepti , tanquam ab alieno epiſcopo ſine mandato , vel licentia ſui epiſcopi ordinato . Si vero de mandato ſeu licentia ſui præſulis a Græco pontifice ſecundum morem Græcorum fuerit ordinatus , licet culpandus ſit epiſcopus Latinus , qui clericos ſuos a Græco facit antiſtite ordinari , quamdiu tamen talis mos ab eccleſia toleratur, impediri non debet ab executione ordinum taliter ſuſceptorum.

IDEM

L. Vicario apud CP.

Titulo De Conſuetudine,

Pontifex prohibet Latinis presbyteris apud CP. conſtitutis chrismatis adminiſtrationem. Tutius eſt illud ex neceſſitate omittere, quam ex temeritate conferre.

QUantò de benignitate ſedis apoſtolicæ locum obtines celſiorem, tanto tibi eſt ſolicitius procurandum, ut te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram vel ad ſiniſtram, quod non minus re quam nomine vices apoſtolicas gerere videaris. Pervenit ſane ad audientiã noſtram, quod quidam ſimplices ſacerdotes apud Conſtantinop. ea ſacramenta præſumunt fidelibus exhibere, quæ ab apoſtolorum tempore rite fuerunt ſolis pontificibus reſervata, ut eſt ſacramentum confirmationis, quod chriſmando renatos ſoli debent epiſcopi

pi per manus impoſitionem conferre, ad excuſandas excuſationes in peccatis, & ſui erroris fomentum ſolam conſuetudinem prætendentes: cum diuturnitas temporis peccata non minuat, ſed augmentet, quæ tanto graviora exiſtunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatam. Volentes igitur hæc & alia, quæ oculos divinæ majeſtatis offendunt, de agro dominico extirpari, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis presbyteris apud Conſtantinop. conſtitutis diſtricte prohibeas, ne talia de cetero ſua temeritate præſumant, quæ licet non ſint a fidelibus contemnenda, tutius tamen eſt ea ſine periculo ex neceſſitate, quæ legem non habet, omittere, quam ut ab his quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non ſine gravi periculo inaniter conferantur: cum alios quoque ſubjectos tuos, & ab illicitis revocare ſatagas, & ad facienda bona verbo, & exem-

exemplo pariter invitare: quibus quales pro te literas deſtinemus, ex reſcripti noſtri ſerie perpendere poteris evidenter. Datum Laterani XVI. Calend. Decembris.

IDEM

In Concilio Lateranenſi.

Titulo De officio judicis ordinarii.

Ne ob diverſitatem rituum & linguarum diverſi pontifices eidem diœceſi præficiantur; ſed pontifex loci vicarium nationibus illis conformem conſtituat.

QUoniam in pleriſque partibus intra eandem civitatem atque diœceſim permixti ſunt populi diverſarum linguarum, habentes ſub una fide varios ritus & mores, diſtricte præcipimus, ut pontifices hujus civitatis, ſive diœceſis eiſdem provideant viros idoneos, qui ſecundum diverſitates rituum & linguarum

rum

rum divina officia illis celebrent, & eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas ſive dioeceſis diverſos pontifices habeat; tanquam unum corpus diverſa capita, quaſi monſtrum. Sed ſi propter præſcriptas cauſas urgens neceſſitas poſtulaverit, pontifex loci catholicum præſulem nationibus illis conformem provida deliberatione conſtituat ſibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens & ſubjectus. Unde ſi quis aliter ſe ingeſſerit, excommunicationis ſe noverit mucrone percuſſum: & ſi nec ſic reſipuerit, ab omni miniſterio eccleſiaſtico deponendum, adhibito, ſi neceſſe fuerit, brachio ſæculari ad tantam inſolentiam repellendam.

IDEM IBIDEM.

Titulo De Baptiſmo.

Græci ad obedientiam revertentes fovendi, & honorandi. Ea tantum in illorum ritibus improbanda, quæ periculum generant animarum, & eccleſiaſticæ derogant honeſtati. Græci Latinos abominari deſiſtant; nec altaria lavent, ſuper quibus hi ſacrificarunt; aut ab his baptizatos rebaptizent.

Licet Græcos diebus noſtris ad obedientiam ſedis apoſtolicæ revertentes fovere, ac honorare velimus, mores ac ritus eorum; quantum cum Domino poſſumus, ſuſtinendo: in his tamen illis deferre nec volumus nec debemus, quæ periculum generant animarum, & eccleſiaſticæ derogant honeſtati. Poſtquam enim Græcorum eccleſia cum quibuſdam complicibus & fautoribus ſuis obedientiæ ſedis apoſtolicæ ſe ſubtraxit, in

tan-

tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impie committebant, ſi quando ſacerdotes Latini ſuper eorum celebraſſent altaria, non prius ipſi ſacrificare volebant in ipſis, quam ea tanquam per hoc inquinata laviſſent. Baptizatos etiam a Latinis ipſi Græci rebaptizare auſu temerario præſumebant, & adhuc, ſicut accepimus, quidam hæc agere non verentur. Volentes igitur tantum ſcandalum ab eccleſia Dei amovere, ſacro ſuadente Concilio diſtricte præcipimus, ut talia de cetero non præſumant, conformantes ſe tanquam filii obedientiæ ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ matri ſuæ, ut ſit unum ovile & unus paſtor. Si quis autem tale quid præſumpſerit, excommunicationis mucrone percuſſus, ab omni officio & beneficio eccleſiæ ſuſpendatur.

IDEM

Acheruntino Archiepiſcopo.

Titulo De clericis conjugatis.

Orientales in minoribus ordinibus contrahere valeant matrimonium, & in ſuperioribus uti contracto.

CUm olim ad noſtram audientiam perveniſſet, quod canonici Anglo-ven. (*l. Anglionen.*) dil. f. cantorem Tricaricen. ſibi elegerant in paſtorem, tibi dedimus in mandatis, ut examinata electione diligentius & perſona, ſi electionem canonicam & perſonam idoneam invenires, electionem ipſam auctoritate apoſtolica confirmares, ſicut metropolitanus in ceteris proceſſurus. Licet autem tibi de forma electionis canonicæ, ac idoneitate perſonæ in aliis conſtitiſſet, movit te tamen & ad nos conſulendum induxit, quod cum pater ejuſdem cantoris Græcus fuerit, & juxta

ta ritum Græcorum uxorem duxerit in minoribus ordinibus conſtitutus, cantorem ipſum ex uxore legitima in ſacerdotio ſuſcepiſſet. Nos igitur attendentes, quod Orientalis eccleſia votum continentiæ non admiſit, quin Orientales in minoribus ordinibus contrahant, & in ſuperioribus utantur matrimonio jam contracto: f. t. per ap. s. m. quatenus niſi pro eo, quod inter Latinos Græci hujuſmodi converſantur, regionis conſuetudo repugnet, ſi aliud non obſiſtat, ad confirmationem & conſecrationem ejuſdem cantoris ſine dubitatione procedas.

I D E M.

Titulo De ſacra unctione.

In conſecratione epiſcoporum ſacra unctio adhibenda ab epiſcopo aſſiſtentibus ei duobus epiſcopis. Omiſſa ſuppleatur.

CUm veniſſet ad apoſtolicam ſedem ven. f. n. Brandicuberen. epiſcopus

pus, clara nobis inſinuatione monſtravit, quod in conſecratione ſua ſacram non acceperat unctionem; quoniam apud vos non conſuevere pontifices, cum conſecrantur, inungi. Nos ergo, quod illi defuerat, mandavimus in ipſo ſuppleri, facientes caput ejus & manus per ven. f. n. J. epiſcopum Albanenſem aſſiſtentibus ei duobus epiſcopis ſecundum morem eccleſiaſticum ſacro chriſmate deliniri; hoc enim catholica tenet eccleſia, non ſolum ex præcepto divino, verum etiam apoſtolorum exemplo, &c. Monemus igitur, & exhortamur attentius, ac per ap. ſcripta mandamus, quatenus ad mandatum dilecti filii N. tit. S. Crucis presbyteri cardinalis ap. ſedis legati, tu quoque ſacram accipias unctionem, ne quid tibi deſit ad virtutem ſacramenti; & cum ſacro fueris chriſmate delinitus, archiepiſcopos & epiſcopos tuos ſimiliter ungas, & per eos facias manus ſacerdotum inungi oleo benedicto. Illum de cetero in ordinan-

dis

dis presbyteris, & conſecrandis epiſcopis morem ſervans, & faciens obſervari, quem ap. ſedes obſervat, quæ diſponente domino cunctorum mater eſt fidelium & magiſtra.

GREGORIUS IX.

Ad Germanum Archiep. CP.

Latini ac Græci ritus diverſitas in euchariſtia dualitatem ſacramenti non infert. Fermentum Græcorum corpus Chriſti paſſibile ante reſurrectionem, azymum Latinorum; glorificatum repræſentat. Vtrumque tranſubſtantione facta panis eſſe deſinit.

CUm juxta teſtimonium veritatis, occaſio ſit errorum, ignorantia ſcripturarum, cunctis expedit illas legere vel audire, quia quæ in eis inſpiratio divina repoſuit pro doctrina ſequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum, &c.

&c. Verumtamen ſi dualitatis ſenſum circa euchariſtiæ ſacramentum veſter diverſus a noſtro ritus inducit : attende quod non ſit aliud nec diverſum unius Domini noſtri Jeſu Chriſti, prius in aſſumpta propter nos carne paſſibilis, poſt ſicut a morte, ſic ab omni paſſibilitate prorſus immunis, à Græcis pariter & Latinis noſtræ ſalutis myſterium frequentatum. Græcus ad fidem cum diſcipulo juniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua Deus miſeriæ compaſſus humanæ homo voluit eſſe paſſibilis, eligẽs quotidie reminiſci, hoſtiam conſtituit offerri fermentatam : ut, Apoſtolo dicente, quod ex fermento maſſa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante reſurrectionem corpus Dominicum ſubjacere potuit, oſtendatur. Latinus vero cum Petro ſeniore ſecutus literæ monumentum, de qua procedit ſpiritualis ſenſus, prior introivit, & linteamina poſita, quæ ſacroſanctum corpus, quod eccleſiam ſignificat, involve-

verant, ſeparatumque ſudarium quod fuerat ſuper caput, aſpexit, ſacramentum glorificati corporis celebrare mirificentius in azymis ſinceritatis elegit. Sed uterque panis ſimplex ante ſacrificium panis eſt: tranſubſtantiatione vero facta per verba Dominica, panis non eſt. Et ideo nec fermentatus, nec azymus dici poteſt: ſed ille potius creditur eſſe panis vivus, qui deſcendit de cœlo, & tribuit vitam mundo.

Ex

Ejuſdem Papæ ad Græcos.

Quærunt Græci an pontifex duas admittat traditiones in ſacramento Græcorum & Latinorum. Reponunt legati, ex verbis pontificis nullum eſſe locum quæſtioni; ejuſque eſſe interpretari, cujus eſt condere. Græci male ſentiunt de azymo. Abluunt altaria, in quibus Latinus celebravit. Latinos abjurare cogunt ſacramenta eccleſiæ Romanæ. Papam ejecerunt de diptychis; eumque ſemel in anno excommunicant. Hoc poſtremum Græci negant, ac multa adverſus Latinos recriminantur. Ea ex auctoritate eccleſiæ Latinæ minime perpetrata fuiſſe reſpondent legati: at quæ Latini a Græcis patiuntur, Græcorum prælatorum auctoritate contingere.

QUarta feria circa horam primam acceſſimus ad D. patriarcham, ubi Con-

Concilium convenerat : & cum eſſemus in medio Concilii; archiepiſcopus de Samaſtria in Paphlagonia ita exorſus eſt loqui : Notum eſt vobis , venerabiles apocrisarii D. papæ , quomodo literas dictus SS. papa per vos tranſmiſit D. patriarchæ , quarum tenore audito non modicum mirati ſumus de quodã verbo quod poſuit in fine literarum , &c. Græcus ad fidem cum diſcipulo juniore præcurrens , &c. Ex his verbis videtur nobis , quod D. papa velit innuere duas traditiones . Quærimus igitur a vobis , ſi hæc eſt fides veſtra, quod in illis diſcipulis ſignificentur duæ traditiones in ſacramento Græcorum , & Latinorum . Nos vero perpendentes eorum verſutiam , quod propoſuerant quoquo modo ſubterfugere reſponſionem, & ita occaſione literarum mittere nos ad alias quæſtiones, breviter reſpondemus : Verum eſt , quod literas D. papæ tulimus , & quæ in dictis literis ſcripta ſunt,dubitationem quæſtionis veſtræ, ſi diligenter
illis

illis ſcriptis velitis intendere, eleganter diſſolvunt. Sed quia ſcriptum eſt in jure: Ejus eſt interpretari, cujus eſt condere, literas D. papæ non eſt noſtrum interpretari. Sed ſi aliquid ambiguum vobis ſit in literis D. papæ, ſcribatis, & ipſe vobis interpretabitur. Et ipſi reſponderunt: Imo vos qui nuncii eſtis, debetis interpretari. Cœperunt igitur gravius inſiſtere, & multociens eamdem quæſtionem replicare; & nos eamdem reſponſionem reiterare. Tempore igitur conſumpto in iſtis nugis & truſis uſque ad horam ſextam, tœdio affecti ſumus, & præ cordis anguſtia non valentes eorum ſuſtinere malitiam, reſpondimus eis: Videmus quod tempus redimitis, & ſubterfugere quæſtionem noſtram nitimini, & fidem veſtram confiteri non audetis. Amodo aperto ore cor noſtrum patebit ad vos, & notificabimus vobis quicquid ſentimus de vobis. Jam perpendimus, quod male ſentitis de ſacramento noſtro in azymo, primo per ſcripta

veſtra quæ plena ſunt hac hæreſi, 2. quia ad quæſtionem factam de ſacramento non audetis reſpondere, ne pateat hæreſis veſtra. 3. quia facta veſtra illud probant, Abluitis enim altaria veſtra, poſtquam Latinus celebravit in eis. 4. Quia Latinos venientes ad ſacramenta veſtra compellitis apoſtatare & abjurare ſacramenta eccleſiæ Romanæ. 5. Quia D. papam ejeciſtis de diptychis veſtris. Sed ſcimus, quod nullum ejicitis niſi excommunicatum vel hæreticum. Ergo habetis eum excommunicatum vel hæreticum. 6. Quia ſemel in anno excommunicatis eum, ut nobis retulerunt quidam qui audierunt. Surrexit igitur chartophylax in medio Concilio & ait; Quod dicitis quod D. papam excommunicamus, dicimus quod falſum eſt: & quicumque dicit iſtud, exeat aut mala patiatur. De aliis quæ facimus non miremini: quia Latini veſtri cum cœpiſſent Conſtantinopolim, fregerunt eccleſias, diruerunt altaria, auro & ar-

gento ſublato reliquias Sanctorum projecerunt in mare, iconas ſanctas conculcaverunt, & de eccleſiis ſtabula jumentorum fecerunt: ita ut impletum videretur illud: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt, &c.* Et his dictis ait patriarcha: Si miramini quod papā ejicimus de diptychis noſtris: quæro quare me ejecit de ſuis diptychis? Et incipientes reſpōdere ad ultimo objectum diximus: D. papa numquam te ejecit de ſuis diptychis, quia tu nunquam eras. Sed ſi de prædeceſſoribus veſtris quæratis, vos legatis, utrum papa vos, prius quam vos eum, ejecerit. Nec ad hoc aliquid reſponderunt. Ad alia quæ imponitis, eccleſiæ R. nihil imponitis, quia non fuerunt hæc facta conſenſu vel præcepto eccleſiæ Romanæ. Sed hæc ſi fuerunt facta, fecerunt viri laici, peccatores, excommunicati, propria auctoritate talia præſumentes: nec imputandum eſt toti eccleſiæ, quod a quibuſdam ini-

quis

quis eſt præſumptum. Sed quæ dicimus de vobis vera ſunt, & hæc verbo & opere teſtificamur. Et iſta faciunt primo veſtri patriarchæ, & archiepiſcopi, epiſcopi, & ceteri veſtri eccleſiæ prælati. Hæc facitis & hoc dicetis fieri. Nunc jam excuſationem non habetis in peccatis veſtris. Et quia tot abominabilia invenimus apud vos, nec aliquam voluntatem emendandi, quod hactenus erratum eſt: ecce nos revertimur ad eum, qui nos miſit; & ſic receſſimus a Concilio.

INNOCENTIUS IV.

Epiſcopo Tuſculano Apoſtolicæ Sedis Legato.

Pontifex nihil ſibi deſiderabilius profitetur orientalium cum ſede apoſtolica reconciliatione. Mores & ritus Græcorum ii ſolum reprobandi, qui periculum pariunt animarum, vel eccle-

eccleſiaſticæ derogant honeſtati. Contentio inter Latinos & Græcos regni Cypri de quibuſdam articulis. In unctionibus circa baptiſma mos eccleſiæ Romanæ teneatur. Vnctio per totum corpus baptizandorum toleranda. Nil refert utrum in frigida, vel calida baptizetur. Soli epiſcopi chriſment baptizatos. Singuli valent chriſma conficere in ſuis eccleſiis in die cœnæ Domini. Conſuetudo chriſmatis per patriarcham ſimul cum archiepiſcopis & epiſcopis conficiendi non reprobatur. Vnctio pœnitentiæ loco minime adhibeatur. Vnctio extrema exhibeatur infirmis. Aqua in ſacrificio altaris ſive frigida, ſive calida, ſive tepida, parum intereſt. Euchariſtia pro infirmis non ad annum, ſed ad quindecim tantum dies conſervetur. Miſſæ non celebrentur poſt horam nonam, & niſi completo officio matutinali. Promovendi antea diligenter examinentur. Calix aureus, aut argenteus, vel ſaltem ſtan-

neus

neus. Corporale de lino nitidum. Altare mundum. Mulieres ad altare non ſerviant. Quoad jejunium ſabbati quadrageſimali tempore, Græci ſervent pro libito morem ſuum. Sacerdotes etiam conjugati, licite valeant confeſſiones audire. Simplicem fornicationem lethale peccatum eſſe non ambigendum. Septem ordines, ſecundum morem eccleſiæ Romanæ, conferantur. Secundæ, tertiæ, & ulteriores nuptiæ minime damnentur, non tamen a presbyteris benedicantur. Perſonæ quarto gradu ſe contingentes, in contracto matrimonio remaneant, at non amplius inter ſe copulentur. Purgatorius ignis nominetur, quo peccata lethalia, per pœnitentiam peractam prius non remiſſa, ac venialia, in vita non relaxata, purgantur. Decedens in peccato mortali, perpetuæ gehennæ addicitur. Parvuli poſt baptiſmum, & adulti in caritate decedentes, ſi ad ſatisfactionem aliquam pro peccato non tenean-

tur, ad patriam transvolant. Inſtituta regularia ſanctorum patrum a monachis ſerventur. Græci contra hujuſmodi proviſiones & deliberationes a Latinis minime inquietandi.

Sub catholicæ profeſſione fidei atque cultu conſiſtere ac proficere univerſos, ceteris noſtræ mentis deſiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius pleniori deſiderio cupimus, & ad hoc velut operativum ſalutis præcipuum, intimis affectibus anxius aſpiramus. Hæc inquam unio ſive connexio cordi noſtro inæſtimabilis gaudii rorem infunderet, ſi varias gentium nationes, ejuſdem obſervantia fidei in unum acceptabilem Chriſto populum adunaret. Id utique anxiæ noſtræ mentis ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, ſi omnes, quos olim in unum catholicum gregem ovile collegit Domini, cum multi ab eo diſceſſerint, in idem individuum collegium unius paſtoris ſolidaret magiſte-

ſterium, & cuſtodia communiret. O ſi Orientalibus Oriens ex alto luceret, & ſui luminis illūſtratione ipſos ad catholicam reduceret unitatem, ut cum reliquis orthodoxis in unius aulæ collecti gremio, de matris eccleſiæ ubere fluenta doctrinæ ſalutaris haurirent! Tunc ipſi eccleſiæ proveniret magnum & deſiderabile ſalutare, tunc ejus uterus ſobole geminata concreſceret, tunc Orientalibus oriretur ſupernæ illuminationis aurora, tunc eis clareſceret lucifer veritatis, tunc per univerſam eccleſiam inundantis gaudii erumperet plenitudo, tunc exultatione nimia clareſceret totus orbis, quia valde bonum & jucundum exiſteret, fratres ſimul in domo Domini habitare, tunc eadem eccleſia, multiplicata lætitia, novę jucunditatis canticum perſonaret. Verum quia nonnulli Gręcorum jamdudum ad devotionē ſedis apoſtolicæ redeuntes, ei reverenter obediunt & intendunt, licet, & expedit, ut mores ac ritus eorum, quan-

tum cum Deo poſſumus, tolerantes, ipſos in eccleſiæ Romanæ obedientia præſervemus. Quanquam in his quæ animarum periculum parerent, vel honeſtati eccleſiaſticæ derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Sane inter vener. fratrem noſtrum archiepiſcopum Nicoſienſem, & ejus ſuffraganeos Latinos ex parte una, & epiſcopos Grecos regni Cypri ex altera, de quibuſdam certis articulis diſcordiam & turbationem fore ſubortam, & eorundem tenorem articulorum ac reſponſiones ipſorum Græcorum ad illos, nobis, ut melius poſſemus inſtrui ſuper eis, plene ac provide per tuas literas intimaſti, ſolicite requirendo, ut providere ſuper hoc apoſtolica diligentia curaremus. Nos autem literis ipſis affectuoſe receptis, earum ſeriem, & ipſos articulos ac reſponſiones eaſdem, & cetera quæ continebantur in illis, una cum fratribus noſtris perlegimus, & intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino

no commendantes, & meditantes ac deliberantes ſuper his, prout rei qualitas exigebat.

Circa hęc itaque ſic deliberatio noſtra reſedit, ut Gręci ejuſdem regni in unctionibus, quæ circa baptiſma fiunt, morem eccleſiæ Romanæ teneant & obſervent. Ritus vero ſeu conſuetudo quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, ſi tolli ſine ſcandalo vel removeri non poteſt, cum, ſive fiat, ſive non, quantum ad baptiſmi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur. Nec refert etiam, utrum in frigida vel calida aqua baptizent, cum parem vim & effectum in utraque baptiſmum habere, aſſeverare dicantur.

Soli autem epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet niſi per epiſcopos exhiberi. Quoniam ſoli apoſtoli, quorum vices gerunt epiſcopi, per manus impoſitionem, quam confirmatio vel fron-

frontis chiſmatio repræſentat, Spiritum ſanctum tribuiſſe legantur. Singuli quoque epiſcopi in ſuis eccleſiis in die cœnæ Domini poſſunt ſecundum formam eccleſiæ chriſma conficere, ex balſamo quidem & oleo olivarum. Nam Spiritus ſancti donum in chriſmatis unctione confertur: Et columba utique, quę ipſum deſignat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retuliſſe: Sed ſi ſuum antiquum ritum in hoc Græci potius ſervare voluerint; videlicet quod patriarcha una cum archiepiſcopis & epiſcopis ejus ſuffraganeis ſimul chriſma conficiant, in tali eorum conſuetudine tolerentur.

Nullus autem per ſacerdotes vel cōfeſſores pro ſatisfactione pœnitentiæ, unctione aliqua ſolummodo inungatur. Infirmis vero juxta verbum Jacobi apoſtoli unctio exhibeatur extrema: Porro in appoſitione aquæ ſive frigidæ, ſive calidæ, vel tepidæ, in altaris ſacrificio, ſuam, ſi velint, conſuetudinem Græci

ſe-

ſequantur , dummodo credant & aſſerant, quod ſervata canonis forma conficiatur pariter de utraque.

Sed euchariſtiam in die cœnæ Domini conſecratam,uſque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipſos communicent, non reſervent : Liceat tamen eis, pro infirmis ipſis, corpus Chriſti conficere,ac per quindecim dies & non longiori temporis ſpatio conſervare, ne per diutinam ipſius reſervationem, alteratis forſitan ſpeciebus, reddatur minus habile ad ſumendum: licet veritas & efficacia ſemper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate, ſeu volubilitate temporis evaneſcat.

In celebratione vero ſolemnium & aliarum miſſarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel conſecratione formam verborum a Domino expreſſam & traditam obſervent, & celebrando non tranſgrediantur horam nonam, ſuam ſequi conſuetudinem permittantur.

Sa-

Sacerdotes autem dicant horas canonicas more ſuo, ſed miſſam celebrare prius quam officium matutinale compleverint, non præſumant.

Promovendi vero ad ſacerdotium, & presbyteri, qui præficiendi fuerint eccleſiarum regimini, examinentur anteà diligenter, ſi præcipue de horis canonicis, & miſſarum officiis ſecundum diſtinctionem temporum exequendis, ſint ſufficienter inſtructi, ut ad hæc non niſi digni & idonei admittantur.

Ceterum unuſquiſque ſacerdos in aureo vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtanneo calice ſacrificet, habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis veſtimentis opertum, vel decentibus paramentis.

Mulieres autem ſervire ad altare non audeant, ſed ab illius miniſterio repellantur omnino.

De jejunio vero diei ſabbati quadrageſimali tempore (quanquam honeſtius & ſalubrius Græci agerent, ſi ſic toto

to illo tempore abſtinerent, ut nec unico die inſtitutum jejunium violarent) teneant & ſervent pro libito morem ſuum.

Sacerdotes quoque conjugati & alii, quibus parochiarum cura vel eccleſiarum parochialium regimen per epiſcopos ſuos committitur, licite ac libere poſſint parochianorum ſuorum confeſſiones audire, ipſisque pœnitentiam injungere pro peccatis. Quia cui licet, vel conceditur, quod eſt majus, competit nimirum, nec negari convenit, quod eſt minus. Liberum tamen ſit ipſis epiſcopis, viros alios idoneos coadjutores & cooperatores habere, in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, ac ceteris quæ ad ſalutem pertinent animarum; ipſiſque in his per eorum diœceſes, abſque ſacerdotum ipſorum præjudicio & gravamine committere vices ſuas, cum propter occupationes multiplices, & occaſiones varias poſſit contingere, quod nequeant per eaſdem diœceſes officium ſuum exequi per ſe ipſos.

De

De fornicatione autem quam ſolutus cum ſoluta committit, quin ſit mortale peccatum, non eſt aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarios quam adulteros regno Dei Apoſtolus aſſerat alienos.

Ad hæc volumus & expreſſe præcipimus, quod epiſcopi Græci ſeptem ordines ſecundum morem eccleſiæ Romanæ de cetero conferant, cum hucuſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſse vel prætermiſiſſe dicantur. Illi tamen qui jam ſunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipſorum multitudinem, in ſic ſuſceptis ordinibus tolerentur.

Quia vero ſecundum Apoſtolum mulier mortuo viro ab ipſius eſt lege ſoluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, ſecundas & tertias ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus nec condemnent, ſed potius illas approbent inter perſonas, quæ alias licite ad invicem matrimonio jungi poſſunt. Secundo tamen

men

men nubentes presbyteri nullatenus benedicant.

Et quoniam apud eos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſe, juxta eorum computationem, octavo gradu, qui ſecundum computationem & diſtinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id præſumatur deinceps, firmiter prohibemus. Diſtricte præcipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto conſanguinitatis vel affinitatis gradu, copulari ulterius non præſumant, ſtatutum in hoc generalis Concilii obſervantes. Illos tamen qui jam in gradu hujuſmodi contraxerunt, diſpenſative permittimus in ſic contracto matrimonio remanere.

Denique cum Veritas in evangelio aſſerat, quod ſi quis in Spiritum ſanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc ſæculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod datur intelligi quaſdam culpas

in

in præſenti, quaſdam vero in futuro ſæculo relaxari; & Apoſtolus dicat, quod uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit, & cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem; & ipſi Græci vere ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, animas illorum, qui ſuſcepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui ſine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedant, purgari poſt mortem, & poſſe ſuffragiis ecclesiæ adjuvari; Nos quia locum purgationis hujuſmodi dicunt non fuiſſe ſibi ab eorum doctoribus certo & proprio nomine indicatum, illum quidem juxta traditiones & auctoritates ſanctorum patrum, *Purgatorium* nominantes, volumus quod de cetero apud ipſos iſto nomine appelletur; illo enim tranſitorio igne peccata utique,* non tamen criminalia ſeu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remiſſa, ſed parva & minima purgantur, quæ poſt mortem eti-

* al. tantum.

etiam gravant, ſi in vita non fuerunt relaxata.

Si quis autem abſque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic procul dubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.

Animæ vero parvulorum poſt baptiſmi lavacrum, & adultorum etiam in caritate decedentium, qui nec peccato, nec ad ſatisfactionem aliquam pro ipſo tenentur, ad patriam protinus tranſvolant ſempiternam.

Ordinationes demum & inſtituta regularia ſanctorum patrum de vita & ſtatu monachorum, præcipimus ab abbatibus, & monachis Græcis inviolabiliter obſervari.

Fraternitatem itaque tuam hortamur attente per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus præmiſſa omnia epiſcopis Græcis præfati regni ſeriatim, & diligenter exponi facias, diſtricte ipſis injungens, ut ea ſolicite attendere, ſtudioſe tenere, ac efficaciter obſerva-

re procurent, & a ſuis faciant ſubditis obſervari. Memoratis autem archiepiſcopo Nicoſienſi, & ejus ſuffraganeis Latinis firmiter auctoritate noſtra præcipias, ut eoſdem Græcos ſuper præmiſſis contra hujuſmodi proviſionem & deliberationem noſtram non inquietent aliquatenus,nec moleſtent, contradictores eadem auctoritate,appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Non obſtantibus ſi prædictis archiepiſcopo & ſuffraganeis vel quibuſcumque a ſede apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Laterani 2. Non. Mart. anno undecimo.

ALE-

ALEXANDER IV.

Conſtitutio Cypria.

Ad futuram rei memoriam.

Catholicæ unitatis religio non ex fervidis animoſitatibus, ſed ex placabili proficit lenitate. Pontifex controverſias inter Latinos, & Græcos regni Cypri componit. Statuit ut in eo regno infra Latinorum epiſcoporum diœceſes, quatuor dumtaxat exiſtant Græcorum pontificales ſedes, quot ibidem ſunt Latinorum. Epiſcopi Græci a clericis ſuis eligantur, ac per Latinum præſulem confirmetur electio, munuſque conſecrationis ab epiſcopis ſui ritus recipiant, ac poſtea profeſſionem obedientiæ in manibus præſulis Latini faciant. Græcorum pontificum damnatio, depoſitio, translatio, ceſſio ad ſolum ſpectat Romanum pontificem. Græcæ ſedis vacantis bona futuro epiſcopo fideliter cuſtodiantur. Libere juriſdictionem ſuam exer-

exerceant, & in ea nihil uſurpent Latini exceptis caſibus, qui ſpectant ad metropolitanos. Cauſæ inter Latinum & Græcum ad Latinum loci pontificem deferantur, ſalva appellatione ad ſedem Romanam. A Græco epiſcopo appelletur ad Latinum diœceſanum, & exinde ad archiepiſcopum Nicoſienſem. Pro offenſis & juribus ſuis Latini epiſcopi in Græcos ea poteſtate procedant, quæ illis competit in Latinos. Ad ſynodum Latini ſemel in anno Græcus conveniat, non tamen cogendus ire ad provinciale concilium. Latini pontifices viſitare valeant Græcos & eorum ſubditos jure veluti metropolitico. Moderamen procurationum in iis viſitationibus. Eccleſia Græcorum regni Cypri carebit impoſterum ſuæ nationis metropolitano; dum vixerit tamen Germanus Græcorum archiepiſcopus, illius dignitatis nomine ac honore potiatur. Pontifex præſentem ordinationem ad Syros regni Cypri extendit.

IN

IN perpetuum cultus juſtitiæ late protenditur ; cum jurgiorum ſtrepitus nonnunquam unitatem ſeparans , & vulnerans caritatem, pacis ſilentio coarctatur . Propterea in controverſiis , maxime quibus viri eccleſiaſtici diſſident , quos ideo invicem oportet fore quietos, quia inter alios debent eſſe pacifici , judicialis prudentiæ ſtudium ad conciliationem diſcordium in vinculo caritatis decet præcipue vigilare . Non enim in rigore ſpiritus vehementis , qui ſtatum rerum frequenter evertit , & conterit firmitatem, neque in commotionibus ſimultatum , quæ ſæpius ex litibus oriuntur , catholicæ unitatis religio proficit : ſed in ſibilo auræ tenuis , hoc eſt in placabili mulcentis ſpiritus lenitate , qua fervidæ animoſitates altercantium mitigantur .

Sane venerabili fratre noſtro Germano Græcorum regni Cypri archiepiſcopo , & procuratoribus venerabilis fratris noſtri Nicoſienſis archiepiſcopi,

in noſtra præſentia conſtitutis : idem Græcorum archiepiſcopus inter alia propoſuit coram nobis, &c.

Nos igitur qui ex injuncto nobis apoſtolatus officio, & debemus, & cupimus, tam remotis pacem dicere, quam propinquis : intendentes ſtudiose curare, ut eccleſiæ prædictæ rato invicem ordine dirigantur, & mutua in Chriſto pace lætentur, ſanctius fore prævidimus ad ſalutem, earum controverſias tranquillæ ordinationis arbitrario ſopire conſilio, quam judicialis deciſionis gladio diffinire. Igitur litigioſis contentionibus partium, & implicitis hincinde ſubtilitatum intricationibus, diſputationumque tumultibus in infinitum ſæpe progredientibus : imperantes de fratrum noſtrorum conſilio & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, conſtitutis in præſentia noſtra, memorato Germano Græcorum archiepiſcopo, & venerabilibus fratribus noſtris Nibone de Solia, Joachim de Carpaſio, & Mathia de Leſcara, Græ-

corum

eorum ſedium Cypri epiſcopis, necnon & præfati Nicoſienſis archiepiſcopi procuratoribus; præſenti ordinatione ſtatuimus, & ſtatuto perpetuo pro pace utriuſque eccleſiæ ſuper præmiſſis & aliis, quæ inter illas poſſent inipoſterum diſſidendi contentioſam generare materiam, irrefragabiliter ordinamus: ut in inſula Cypri de cetero infra Latinorum epiſcoporum diœceſes, & ſub Nicoſienſi metropoli, quatuor dumtaxat exiſtant Græcorum pontificales ſedes, & eccleſię cathedrales, olim per prefatum Albanenſem epiſcopum locis ſpecialibus aſſignatæ: cum quatuor ſolummodo in ea inſula fore noſcantur epiſcopales ſedes, & eccleſiæ pontificum Latinorum. Unam ſiquidem pontificalem ſedem Græcorum in Nicoſienſi apud Soliam; aliam in Paphena apud Arſino, tertiam vero in Famaguſtana apud Carpaſium, & reliquam in Nimocienſi apud Leſcaram, diœceſibus, conſiſtere volumus; & ab iis denominari, & tam nomen quam

dignitatem pontificalis officii habere, pontifices, qui eas pro tempore canonice obtinebunt.

Porro quoties quamlibet prædictarum ſedium, Græcorum præſule vacare contigerit: alter a clericis ſedis ejuſdem, invocata Spiritus ſancti gratia, in epiſcopum eligatur: cujus electionem Latinus pontifex, in cuius diœceſi fuerit ſedes illa, ſi eam invenerit de perſona idonea celebratam, canonice, auctoritate ordinaria, rite ac ſine difficultate confirmet, ac ſibi faciat per epiſcopos Græcos vicinarum diœceſum, quos ad hoc idem Latinus advocabit pontifex, munus conſecrationis impendi: epiſcopalem ſolicitudinem atque curam monaſteriorum, eccleſiarum, cleri, & populi Græcorum, in ſua civitate atque diœceſi conſiſtentium, auctoritate propria commiſurus eidem, & recepturus ab ipſo juratoriam profeſſionem obedientiæ, in hanc formam.

Ego N. Epiſcopus de Solia, Nicoſienſis

ſis diœceſis, ab hac hora in antea fidelis ero, & obediens b. Petro, ſanctæque Romanæ eccleſiæ, dominoque meo N. archiepiſcopo Nicoſienſi, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus: & non ero in conſilio neque in facto ut vitam perdant &c. Et hanc formam ab epiſcopo Græco ſuæ diœceſis recipiet pro ſe, ac eccleſia ſua quilibet Latinus epiſcopus regni Cypri. Et ſi electionem illam cognoverit Latinus pontifex irritandam, ad caſſationem ejus procedat, ſicut de jure fuerit procedendum. Epiſcopi vero Græci, a Latino pontifice ad conſecrationem electi Græci ſuæ diœceſis convocati, ad hoc ſine moræ diſpendio, ex præſentis conſtitutionis & ordinationis debito, convenire, ac incumbentia conſecrationis implere munia teneantur.

Sane Græcorum pontificum damnatio, ſeu depoſitio, ſicut translatio, acceſſio, ſoli Romano pontifici, juxta prærogativæ apoſtolicæ privilegia, reſerve-

tur:

tur : ut in illis, ſicut & in ceteris epiſcopis, pontificalis dignitatis ſtatus & præcellentia muniatur. Ac cuicumque Græcorum eccleſiæ paſtore vacanti Latinus pontifex auctoritate propria præſulem ingerere non præſumat : niſi forte ad eum, illis negligentibus eligere qui debebant, facultas ea vice ordinandi eandem eccleſiam de paſtore, juxta generalis ſtatuta Concilii, fuerit per lapſum trimeſtris temporis devoluta. In eo etiam caſu poteſtatem non habeat Latinus epiſcopus præficiendi eccleſiæ ſic vacanti, niſi perſonam Græcam, & tanto honori & gradui ex merito congruentem. Sedis vero Græcæ vacantis epiſcopo bona decanus & capitulum ipſius ſedis futuro pontifici cuſtodiat fideliter & aſſignet. Ceterum epiſcopi ejuſdem inſulæ canonice ordinati, & de cetero in prædictis Græcorum ſedibus ordinandi, habeant in monaſteriis, eccleſiis, cleris, & populis Græcis ſibi commiſſis, & obtineant univerſa, quæ ad digni-

dignitatis vel ordinis epiſcopalis officium pertinere de communi jure noſcantur. De quibus Latini epiſcopi, exceptis illis dumtaxat caſibus, in quibus metropolitanus poteſt de jure juriſdictionem exercere in ſuffraganei ſui ſubditos, nihil uſurpent. Cauſæ autem ad forum eccleſiaſticum pertinentes, ſi emerſerint inter Græcos, ad ſuum Græcum pontificem; ſi vero inter Latinum & Græcum, ſive Græcus actor fuerit ſive reus, ad Latinum loci pontificem deferantur judicialiter dirimendæ: verum ſalva ſedis apoſtolicæ præeminentia, ad cujus præſidium omnes oppreſſi poſſunt immediate confugere. Cum ab epiſcopo Græco appellandum videbitur, ad Latinum epiſcopum, in cujus diœceſi idem Græcus conſiſtit epiſcopus, & exinde ad Nicoſienſem archiepiſcopum, ſi opus fuerit, provocetur. Pręſenti quoque ordinatione cenſemus, ut in civitate vel diœceſi Latini pontificis, præter conſiſtorium epiſcopalis ſedis Græcorum,

rum, cum quo auditorium officialis vel vicarii, ſi quem Græcus habet epiſcopus, unum & idem eſſe dignoſcitur, nullum aliud conſiſtorium habeatur juriſdictionis ordinariæ inter Grecos: niſi forte in aliqua eccleſia Grecorum regni ejuſdem, ſit archidiaconatus vel alia dignitas, annexum habens ordinarię audientię conſiſtorium ab antiquo, a quo ad ejuſdem eccleſiæ Græcum pōtificem, & exinde gradatim ſubditi ejus, cum eorum intererit, provocabunt. Archiepiſcopo denique & Latinis epiſcopis, pro offenſis & injuriis vel juribus ſuis, eccleſiarumque ſuarum, animadvertendi canonice in Græcos ſuarum civitatum & diœceſum in illis caſibus competere volumus poteſtatem, in quibus eis de jure competit in Latinos.

Ad ſynodum vero pontificis Latini Græcus epiſcopus intra illius diœceſim ſedem habens, ſemel in anno cum abbatibus & ſacerdotibus ſuis curam habentibus animarum, teneatur obedienter

occur-

occurrere, ac ſynodalia eius ſtatuta (quæ tamen Græcorum ritibus, fidei catholicæ non adverſis, & a Romana eccleſia toleratis, non obviant) recipere ac ſervare. Ne autem epiſcopi Græci onere duplici prægraventur, cum ipſos adire oporteat ex hujuſmodi ordinationis debito epiſcopales ſynodos pontificum Latinorum, eos ire ad provinciale concilium decernimus non cogendos.

In viſitationibus epiſcoporum Græcorum, vel ſubditorum eorumdem, illam habere volumus Latinos pontifices intra proprias civitates & diœceſes poteſtatem, quam metropolitanis in viſitationibus ſuffraganeorum ſuorum, & ſubditorum eorumdem concedunt canonicæ ſanctiones. Archiepiſcopo tamen & epiſcopis Latinis, cum ſuas diœceſes circa Græcos jure diœceſano viſitaverint, hoc in exigendis procurationibus indicimus temperantiæ moderamen: ut idem archiepiſcopus quinque dumtaxat, Paphenſis epiſcopus quatuor, Fa-

ma-

magustanus tres, & Nimocienſis etiam tres, a Græcis ſuarum civitatum, & diœceſum, procurationes in univerſo recipiant annuatim: quarum quælibet ſummam triginta ſolidorum Turonenſium vel tot Byſantinorum, qui eidem ſummæ æquivaleant, non excedat. Verum licet procurationum numerum viſitationis gratia debitarum, conſiderata ipſorum paupertate Grę́corum, duxerimus moderatione provida taliter moderandum: quia tamen Latinis epiſcopis ad hoc ſunt eccleſiarum ſuarum bona conceſſa, ut in illis circa officii ſui debitum indeficienter valeant militare: volumus ut ſi fidei orthodoxę neceſſitas, aut ſinceritas obedientię, quę eccleſię Romanę debetur, vel morum exegerit diſciplina, quod iidem Gręci pluries viſitentur ſuper hoc, circa ipſos, ſine aliquo illorum gravamine, viſitationis debitum propriis ſumptibus, quando tamen eis ſacrorum canonum inſtituta id permiſerint, impendere teneantur:

cum

cum & apoſtolus Paulus noſtrę inſtitutionis exemplar, interdum ſibi victum manuum labore quęſierit, ne gravis eſſet iis quibus evangelium prędicabat, aut illi quos ſumptus prędicanti miniſtrare pigebat, ob hoc ſalutis miniſterio privarentur.

Plane jus percipiendi decimas in inſula memorata pertineat ad eccleſiam Latinorum: & in earumdem decimarum perceptione, conſuetudo a pręlatis & clericis Latinis obtenta, & hactenus cuſtodita ſervetur. Per hoc tamen quod in hac parte conſuetudinem dicimus obſervandam, nemo ſe ad decimarum ſolutionem putet exemptum, quę jure canonico & divino debentur.

Porro licet eccleſia Gręcorum regni Cypri, ſecundum hanc ordinationem, non ſit nationis ſuæ metropolitanum in poſterum habitura: volumus tamen, præfatum Germanum archiepiſcopum Græcorum, dum vixerit, dignitatis archiepiſcopalis nomine ac honore potiri.

tiri . Propter quod perſonam ipſius, donec ceſſerit, vel deceſſerit, ab archiepiſcopi Nicoſienſis qualibet prorſus eximimus poteſtate: atque ſtatuimus, ut ipſo Germano cedente, vel decedente nullus in præfato regno de cetero Græcorum archiepiſcopus ordinetur, &c.

Utrorumque igitur poteſtate, Latinorum videlicet & Græcorum pontificum regni Cypri, diſcretione hujuſmodi noſtræ ordinationis (quam ad Syros ejuſdem regni, eoſdem cum Græcis mores, ritus, communiſque juris cenſuram ab antiquo ſervantes, extendimus) limitibus deſignata: præſentis decreti auctoritate jubemus, ut neutri noſtræ poſitionis terminos tranſilire, vel amplius ſibi prælationis aut libertatis vindicare præſumant: ſed in Chriſto, qui eſt vera pax omnium, utrique, tanquam invicem membra, per unanimitatis cohærentiam, & ſubminiſtrationis ordinem, fiant ejuſdem capitis idem corpus. Amen.

Amen. Datum Anagniæ v. Non. Jul. Indic. II. Incarn. Dom. an. MCCLX. pontificatus vero Dom. Alexandri papæ IV. an. IV.

GREGORIUS X.

Michaeli Palęologo Gręcor. Imper.

Pontifex exultat ob reditum Græcorum imperatoris ad unitatem S. R. E. Hortatur eumdem ad totalem ſchiſmatis abolitionem. Tenor confeſſionis aut profeſſionis fidei prædicti imperatoris. Diverſi errores adverſus eamdem introducti. Peccata non novo baptiſmo, ſed per veram pœnitentiam expianda. Pœnæ purgatoriæ poſt mortem animas purgant; ad eas relevandas proſunt pietatis officia, a fidelibus pro aliis fidelibus exhibita. Animæ purgatione non indigentes, mox in cælum recipiuntur. In mortali peccato, vel cum ſolo originali decedentes, mox in infer-

 num

num deſcendunt, pœnis tamen diſparibus puniendæ. Omnes homines ante tribunal Chriſti in die judicii cum ſuis corporibus comparebunt. Septem ſunt ſacramenta. Euchariſtiam ex azymo conficit Romana eccleſia; tenet & docet tranſubſtantiationem. Polygamia damnatur, non ita ſucceſſiva nuptiarum pluralitas. Eccleſiæ Romanæ ſummus & plenus primatus ſuper univerſam eccleſiam catholicam. Ad ejus judicium in omnibus cauſis eccleſiaſticis valet appellari. Imperator ſupplicat, ut in eccleſia Græca Symboli recitatio, & ritus quidam permaneant, quemadmodum ante ſchiſma.

EXultat mater Eccleſia renaſcentis prolis fæcunditate jucunda. Exultat & jubilat gaudenter, attendens ſe drachmam deperditam inveniſſe, lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea ſchiſma multiplicarat antiquum, impleri per ſuum aliorumque reditum

ad

ad ipſius eccleſiæ unitatem, ſine ſtragis cujuſque periculo, ſolo pacis auctore prævio intuetur. Exultamus & Nos paſtoris, prout Domino placuit, vices gerentes in ea, Exultamus procul dubio in illo vero Paſtore, qui animam ſuam pro ovibus ſuis ponere non expavit, &c. Perſta ergo: & quod cœpiſti, ſollicite cum omni diligentia & ſollicitudine proſequaris, efficacem pro poſſe daturus operam, ut nec in aliquibus ejuſdem ſchiſmatis reliquiæ qualeſcumque ſuperſint, &c.

Dat Lugduni v. Kal. Aug. Anno tertio.

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ

Quam ab eodem Pontifice ſibi miſſam prædictus Imperator amplexatus eſt.

Credimus in ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate Deitatem coeſſentialem & conſubſtantialem, & coæternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, quæ ſunt in cœlo, & in terra, viſibilia, inviſibilia, corporalia, & ſpiritualia. Credimus ſingulam quamque in Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum, & perfectum. Credimus ipſum Filium Dei Verbum Dei æternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de

de Spiritu ſancto, & Maria ſemper virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem æternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum, proprium in utraque natura, atque perfectum, non adoptivum, nec phantaſticum, ſed unum, & unicum Filium Dei, in duabus, & ex duabus naturis, divina ſcilicet & humana, in unius perſonæ ſingularitate, impaſſibilem, & immortalem divinitate, ſed in humanitate pro nobis, & ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum, & ſepultum: & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione: die quadrageſimo poſt reſurrectionem cum carne, qua reſurrexit, & anima aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum judicare vivos, & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala. Cre-

dimus & Spiritum Sanctum plenum, & perfectum verum Deum, ex Patre, Filioque procedentem, coæqualem & conſubſtantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri, & Filio. Credimus hanc ſanctam Trinitatem non tres deos, ſed unicum Deum, omnipotentem, æternum, inviſibilem, & incommutabilem. Credimus ſanctam catholicam & apoſtolicam unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur ſanctum baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem hujus carnis, quam nunc geſtamus, & vitam æternam. Credimus etiam novi, & veteris teſtamenti, legis, ac prophetarum & apoſtolorum unum eſſe auctorem Deum, & Dominum.

Hæc eſt vera fides catholica, & hanc ſupradictis articulis tenet, & prædicat ſacroſancta Romana eccleſia, ſed propter diverſos errores, a quibuſdam

ex

ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit, prædicat, eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos, ſed per veram pœnitentiam ſuorum conſequi veniam peccatorum. Quod ſi vere pœnitentes, in charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis, hoc eſt catarteriis, ſicut nobis Frater Joannes explanavit, poſt mortem purgari, & ad pœnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum eccleſiæ inſtituta. Illorum autem animas, qui poſt ſacrum baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutæ, prout ſuperius dictum eſt, ſunt

purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Eadem ſacroſancta eccleſia Romana firmiter credit, & firmiter aſſeverat, quod nihilominus in die Judicii, omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam & docet eadem ſancta Romana eccleſia, ſeptem eſſe eccleſiaſtica Sacramenta; unum ſcilicet baptiſmum, de quo dictum eſt ſupra; aliud eſt ſacramentum confirmationis, quod per manuum impoſitionem epiſcopi conferunt, chriſmando renatos; aliud eſt pœnitentiæ; aliud euchariſtiæ; aliud ſacramentum ordinis; aliud eſt matrimonium; aliud extrema unctio, quæ ſecundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus adhibetur. Sacramentum euchariſtiæ ex azymo conficit eadem Romana eccleſiá, tenens & docens, quod

Digitized by Google

in ipſo ſacramento panis vere tranſubſtantiatur in corpus,& vinum in ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores ſimul,nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio, per mortem conjugum alterius, ſecundas, & tertias deinde nuptias ſucceſſive licitas eſſe dicit, ſi impedimentum canonicum aliud ex cauſa alia non obſtat. Ipſa quoque ſancta & Romana eccleſia ſummum & plenum primatum & principatum ſuper univerſam eccleſiam catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino in B. Petro apoſtolorum principe, ſive vertice, cujus Romanus pontifex eſt ſucceſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter & humiliter cognoſcit. Et ſicut præ ceteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerint quæſtiones, ſuo debent judicio definiri. Ad quam poteſt gravatus quilibet ſuper negotiis ad eccleſiaſticum

forum

forum pertinentibus appellare ; & in omnibus cauſis ad examen eccleſiaſticum ſpectantibus ad ipſius poteſt judicium recurri ; & eidem omnes eccleſiæ ſunt ſubjectæ . Ipſarum prelati obedientiam, & reverentiam ſibi dant. Ad hanc autem ſic poteſtatis plenitudo conſiſtit, quod eccleſias ceteras ad ſollicitudinis partem admittit ; quarum multas, & patriarchales præcipue, diverſis privilegiis eadem Romana eccleſia honoravit , ſua tamen obſervata prærogativa , tum in generalibus conciliis , tum in aliquibus aliis ſemper ſalva.

Supraſcriptã fidei veritatẽ(prout plene lecta eſt & fideliter expoſita) veram ; ſanctam ; catholicam ; & orthodoxam fidem cognoſcimus , & acceptamus ; & ore ac corde confitemur ; quod vere tenet , & fideliter docet , & prædicat ſancta Romana eccleſia : inviolabiliter obſervare eadem profeſſionem ; & in ea omni tempore perſeverare,nec ullo unquam tempore ab ea diſcedere quoquo

modo,

inodo, aut deviare, vel diſcordare promittimus. Primatum quoque ejuſdem ſanctæ Romanæ eccleſię, ſicut in pręmiſſa ſerie continetur, ad ipſius ſanctę eccleſię obedientiam ſpontaneam venientes, confitemur, & recognoſcimus, acceptamus, & ſponte ſuſcipimus.

Confitentes vero hęc, & approbantes, & acceptantes, & promittentes obſervare, ut ſuperius dictum eſt, rogamus magnitudinem veſtram, ut eccleſia noſtra dicat ſanctum Symbolum, prout dicebat hoc ante ſchiſma, uſque in hodiernum diem; & quod permaneamus in ritibus noſtris, quibus utebamur ante ſchiſma; qui ſcilicet ritus non ſunt contra ſupradictam fidem, nec contra divina pręcepta, nec contra vetus & novum teſtamentum, nec contra doctrinam ſanctorum generalium Conciliorum, & Sanctorum receptorum per ſancta Concilia, quę celebrata ſunt a ſpirituali dominatione eccleſię Romanę. Hoc igitur non grave eſt veſtrę Sanctitati,

tati, nec inuſitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi.

EUGENIUS IV.

Literæ Unionis.

Pontifex ſublatum gaudet parietem diviſionis. Spiritum ſanctum ex Patre & Filio, ac ex Patre per Filium procedere, ad eamdem tendit intelligentiam. Falſo Græcis videbatur, Latinos duo ponere principia, ſeu duas ſpirationes. Additio, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, rationabiliter facta. Corpus Chriſti ſive in azymo, ſive in fermentato conficiendum juxta eccleſiarum conſuetudinem. Animæ poſt mortem purgantur pœnis purgatoriis, eiſque proſunt pietatis officia, quæ a vivis fidelibus conſequuntur. Animæ in hac vita purgatæ, ſeu purgatione non indigentes, in cælum mox recipiuntur, divinæ intui-*

ti-

tionis compotes effectæ, pro meritorum tamen diverſitate. Qui in actuali peccato mortali, vel cum ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendunt, pœnis tamen diſparibus puniendæ. Pontifex Romanus in eccleſiæ univerſalis gubernatione, plena fruitur poteſtate. Poſt Romanum Pontificem patriarchæ hoc ordine ſubſequantur, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hjeroſolymitanus.

LÆtentur cœli, & exultet terra. Sublatus eſt enim de medio paries, qui occidentalem, orientalemque dividebat eccleſiam, & pax atque concordia rediit illo angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque unum, vinculo fortiſſimo charitatis & pacis utrumque jungente parietem, & perpetuæ vnitatis fœdere copulante ac continente; poſt quam longam mœroris nebulam, & diſſidii diuturni atram nigramque caliginem, ſerenum omnibus unionis optatæ jubar illuxit

Gau-

Gaudeat & mater eccleſia, quæ filios ſuos hactenus invicem diſſidentes, jam videt in unitatem pacemque rediiſſe: & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat, ex ipſorum modo mira concordia, cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat. Cuncti gratulentur fideles ubique per orbem, & qui chriſtiano cenſentur nomine, matri catholicæ eccleſiæ colletentur. Ecce enim occidentales orientaleſque patres, poſt longiſſimum diſſenſionis atque diſcordiæ tempus, ſe maris ac terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis laboribus, ad hoc ſacrum œcumenicum Concilium, deſiderio ſacratiſſimæ unionis, & antiquæ charitatis redintegrãdæ gratia, læti alacreſque convenerunt, & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim laborioſamque indaginem, tandem Spiritus Sancti clementia, ipſam optatiſſimam & ſanctiſſimam unionem conſecuti ſunt. Quis igitur dignas omnipotentis Dei beneficiis gratias

tias referre ſufficiat? quis tantas divinæ miſerationis divitias non obſtupeſcat? cujus vel ferreum pectus tantæ ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? Sunt iſta prorſus divina opera, non humanæ fragilitatis inventa, atque ideo eximia cum veneratione ſuſcipienda, & divinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Chriſte fons miſericordiarum, qui tantum boni ſponſæ tuæ catholicæ eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, ut enarrent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem divinumque munus nobis Deus largitus eſt, qui oculis vidimus, quod ante nos multi, cum valde cupierint, aſpicere nequiverunt.

Convenientes enim Latini, & Græci in hac ſacroſancta oecumenica Synodo, magno ſtudio invicem uſi ſunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus ſancti proceſſione, ſumma cum diligentia & aſſidua inquiſitione diſcuteretur

retur. Prolatis vero teſtimoniis ex divinis ſcripturis, plurimiſque auctoritatibus ſanctorum doctorum orientalium & occidentalium, aliquibus quidem ex Patre, & Filio, quibuſdam vero ex Patre per filium procedere dicentibus Spiritum ſanctum, & eandem intelligentiã aſpicientibus omnibus ſub diverſis vocabulis, Græci quidem aſſeruerunt, quod id quod dicunt, Spiritum ſanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium, ſed quia eis videbatur, ut ajunt, Latinos aſſerere Spiritum ſanctum ex Patre, & Filio procedere, tanquam ex duobus principiis, & duabus ſpirationibus, ideo abſtinuerunt a dicendo, quod Spiritus ſanctus a Patre procedat & Filio. Latini vero affirmaverunt, non ſe hac mente dicere Spiritum ſanctum ex Patre, Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin ſit fons atque principium totius Deitatis, Filii ſcilicet ac Spiritus ſancti, aut quod id quod Spiritus ſanctus procedit

dit ex Filio, Filius a Patre non habeat, ſive quod duo ponant principia, ſeu duas ſpirationes; ſed unum tantum aſſerant eſſe principium, unicamque ſpirationem Spiritus ſancti, prout hactenus aſſeruerunt. In nomine igitur ſanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, hoc ſacro univerſali approbante Florentino Concilio, definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur.

Quod Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit. Declarantes quod ſancti doctores & patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum ſanctum ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam; ſecundum Latinos vero principium ſubſiſten-

tiæ Spiritus ſancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia quæ Patris ſunt, Pater ipſe unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quod Spiritus ſanctus procedit ex Filio, ipſe Filius a Patre æternaliter ſortitus eſt. Definimus inſuper explicationem verborũ illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.

Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter cõfici: ſacerdoteſque in altero ipſorum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ eccleſiæ ſive occidentalis ſive orientalis conſuetudinem.

Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatorii poſt mortem purgari: ut a pœnis hujuſmodi releventur, & prodeſ-

ſe

ſe eis fidelium vivorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia,orationes, & eleemoſynas & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt ſecundum eccleſiæ inſtituta.

Illorumque animas qui poſt baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus (prout ſuperius dictum eſt) ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi,& intueri clare ipſum Deum trinum, & unum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate aliam alia perfectius.

Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

Item definimus ſanctam apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri principis apoſtolorum,&

verum Chriſti vicarium, totiuſque eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere, & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem eccleſiam a D. N. Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis univerſorum Conciliorum, & in ſacris canonibus continetur.

Renovantes inſuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum, ut patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſimum Romanorum pontificem, tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hieroſolymitanus, ſalvis videlicet omnibus privilegiis & juribus eorum.

LEO

LEO X. & CLEMENS VII.

Ad futuram rei memoriam.

Presbyteri Græci in fermentato celebrare permittantur; item baptizare ſub forma: Baptizatur ſervus Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, amen; item uti matrimonio contracto ante ſacrorum ordinum ſuſceptionem; item Euchariſtiam ſub utraque ſpecie omnibus etiam pueris miniſtrare. Ordinarii locorum Latini eos ſuper dictis obſervantiis non perturbent, nec ſuper Miſſarum, & aliorum divinorum Officiorum ſecundum eorum antiquam conſuetudinem celebratione. Pariter Pontificalia ſua libere exerceant etiã in locis, ubi Prælati Latini juriſdictionem habent; ibique tam a Græcis quam a Latinis eleemoſynas petere poſſint. Clerici Græci per Latinos Antiſtites ad ſacerdotium non promoveantur. In diœceſibus, ubi Latini, & Græci habitant,

 ſi

ſi Latinus tantum reperiatur Antiſtes, ab eo Vicarius Græcorum ipſis Græcis gratus, vel per ipſos eligendus deputetur; idemque præſtet Metropolitanus Latinus in cauſis appellationum. Latini in Græcorum altaribus contra eorumdem voluntatem non celebrent, ne eorum ritus unicæ celebrationis perturbetur. In locis autem, ubi tam Latini quam Græci ſuum peculiarem habēt Antiſtitem, Latinus in Græcorum juriſdictione ſe non immiſceat. Clericorum, & Monachorum Græcorum privilegia, eadem quæ in Bulla, Mare Magnum. *Alia pro viduis presbyterorum Græcorum in caſtitate viventibus.*

PRoviſionis noſtræ debet provenire ſubſidium, ut ſuum jus cuilibet conſervetur. Hinc eſt quod nos tenorem quarundam litterarum fel. rec. Leonis Papæ X. prædeceſſoris & ſecundum carnem fratris patruelis noſtri, in forma bre-

brevis, a veris ipſius prædeceſſoris litteris, quas in ſecretaria noſtra diligenter inſpici & examinari fecimus, extractum pro eo quod ſicut natio Græca nobis expoſuit, ipſa hujuſmodi tenore ex certis cauſis dignoſcitur indigere, de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſius nationis ſupplicationis inſtantiam præsẽtibus annotari fecimus, qui talis eſt. LEO PAPA X. Ad perpetuam rei memoriam. Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino ſub fel. rec. Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro, in quo inter ceteros Principes & Prælatos, Imperator tunc Græcorum, & quamplurimi Prælati nationis Græcæ pro unione facienda de Orientali, Græcorum cum Romana Eccleſia (res tamdiu a prædeceſſoribus, ac tota Chriſtiana republica deſiderata) interfuerant, inter alia ſtatutum ac ordinatum fuerit, nationem prędictam in quibuſdam eorum ritibus, & obſervantiis, quę non imputabantur hęreſis, poſſe permanere; & inter ce-

tera ſcilicet, quod presbyteri in fermẽtato celebrare, ac ſub alia forma quam Romana baptizare, videlicet, Baptizatur ſervus Dei in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti, amen. Item quod ordinati in ſacris matrimonio ante ipſorum ſacrorum ordinum ſuſceptionem contracto uti; ac barbam nutrire, venerandumque ſacramentum ſub utraque ſpecie omnibus etiam pueris miniſtrare poſſint, per dictum Concilium ſtatutum, ac decretum, ſive permiſſum fuerit. Tamen ordinarii locorum Latini ipſam nationem ſuper dictis ritibus & obſervantiis, in locis ubi prædicti Græci morantur, quotidie moleſtant, perturbant, & inquietant, cogentes pueros ipſorum & alios contra morem baptizatos iterum more Romanæ Eccleſiæ rebaptizari, dicenteſque ſacramentũ ſub utraque ſpecie miniſtrari omnibus etiam pueris minime licere, neque barbam nutrire, neque fermentato, ſed azymo celebrare, ac ordinatis in dictis ſacris ordinibus

matrimonio ſuo uti. Propter quæ & nonnulla alia quotidie in populo diverſa ſcandala exoriuntur, & in dies niſi de opportuno remedio per nos, aut ſedem prædictam provideretur, exoriri contingeret. Conſiderantes autem nos, quam operæ pretium, piumque foret, ac neceſſarium, ut unio prædicta multo labore quæſita, per Romanos Pontifices ſollicite conſervetur, & dictorum Græcorum moleſtiis ac impedimentis hujuſmodi obvietur, atque ipſorum quieti, & animarum conſolationi in præmiſſis opportune conſulatur, nec non ritus & obſervantiæ in eorum eccleſiis, & alibi juxta antiquam eorum conſuetudinem præſerventur; Motu proprio,non ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, dictis Græcis tam Prælatis quam aliis perſonis nationis Græcæ, & eorum cuilibet, ut eorum ritibus & obſervantiis, ſive conſue-

tu-

tudinibus, ut præmittitur, uti, ac illas obſervare,miſſaſque & alia divina officia ſecundum eorum antiquam conſuetudinem celebrare;nec non Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis Græcis, ut inter eoſdem Græcos, ubi Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Prælati Latini juriſdictionem habent, Pontificalia libere exercere officia; ac in ſacris ordinariis officiis; eccleſiis; ac piis locis & oratoriis ſuper hujuſmodi rituum obſervantia per Latinos Antiſtites & Prælatos, etiam locorum Ordinarios, & Dominos temporales, & Magiſtratus ſæculares,in judicium vel alias invitos minime trahi; nec non quicumque clerici Græci, ac aliæ perſonæ nationis Græcæ undecumque venientes, in locis ubi Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Prælati Latinorum, & Domini temporales ſunt, ab ipſis tam Græcis quam Latinis eleemoſynas petere, & recipere libere & licite poſſint, Motu & Sciētia ſimiliter tenore pręſentium concedimus, & indulgemus. Et

ii ſi-

inſuper quod nullus Archiepiſcopus, & Epiſcopus etiã ordinarius Clericos Græcos ad ſacerdotium promovere valeat; ac quod in diœceſi ubi Latini & Græci habitant, & ſolum Archiepiſcopum, ſive Epiſcopum Latinum ordinarium habent, dictus Archiepiſcopus ſive Epiſcopus circa negotia & cauſas dictorum Græcorum, Vicarium Græcorum ipſis Græcis gratum, vel per ipſos Græcos eligendum, ex quo Græcus vir melius Græcos mores novit quam Latinus; eorum ſtipendio & ſalario retinendum deputare; quodque in cauſis appellationum ad Metropoliranum, qui forſan Græcus non eſſet, Metropolitanus ſimiliter in dictis cauſis judicem Grecum deputare teneatur. Et inſuper cum in parochialibus eccleſiis ipſorum Grecorum ex antiquiſſimo & hactenus obſervato ritu nonniſi ſemel in die per unum ſacerdotem celebrari liceat, & tamen nonnulli ſacerdotes Latinorum dimiſſis ipſorum propriis parochialibus eccleſiis,

ut

ut pręfatos Gręcos injuria afficiant, & ad diſturbandum eorum ritus & conſuetudinem hujuſmodi, neſcitur quo ſpiritu ducti, interdum altaria dictarum parochialium eccleſiarum pręoccupant, & inibi contra volūtatem eorumdem Græcorum miſſas, & forſan alia divina officia celebrant, adeo quod dicti Gręci ſępenumero ſine auditione miſſarum, cum magna animorum moleſtia, feſtivis & aliis diebus, quibus miſſas audire conſueverunt, remaneant; nos autem ad obviandum ſcandalis, & providendum, ne in futurum moleſtiæ hujuſmodi Gręcis ipſis inferantur, ſacerdotibus Latinis prædictis, ne de cetero miſſas, & alia divina officia in dictis illis eccleſiis eorumdem Gręcorum celebrare, magiſtratibus vero ſi qui ſunt, ne dictis ſacerdotibus auxilium & favorem præſtent; nec non ut nullus ritus & cerimonias Græcorum in dicto Concilio Florentino, vel alias, approbatas blaſphemare, aut reprobare; ac ubi duo unus Latinus, alter

ter vero Græcus ejuſdem loci, prout in Cephalenia & Jacyntho, & forſan alibi Epiſcopi, Epiſcopus Latinus de perſonis eccleſiaſticis, & ſacerdotibus Græcis, ac de juriſdictione Epiſcopi Gręci, vel aliis quibuſcumque ad Epiſcopum Gręcum quomodolibet ſpectantibus nullatenus ſe intromittere pręſumat; ſed Epiſcopus Latinus Latinorum, Epiſcopus vero Gręcus Gręcorum dumtaxat curam, regimen, ac juriſdictionem reſpective habeant & exerceant. Et inſuper quod presbyteri & clerici Latini in eccleſiis Gręcorum neque celebrare, neque funeralibus, nuptiis ac baptiſmis, & aliis Gręcorum actibus publicis, & privatis intereſſe, aut ſe immiſcere, niſi ad hęc ſpecialiter per ipſos Gręcos vocati fuerint, audeant & pręſumant. Quodque clerici & presbyteri ſęculares & monachi Gręcorum, eorumque eccleſię & monaſteria & bona quęcumque omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, indultis, gratiis, & prero-

gativis in Bulla *Mare magnum* nuncupata contentis &c. etiam uti, potiri, & gaudere poſſint. Nec non viduę presbyterorum vel clericorum Gręcorum in caſtitate juxta ritum Gręcorum viventes, eiſdem immunitatibus, exemptionibus, & privilegiis, quibus viventibus eorum presbyteris ſeu clericis gaudere poterant, gaudeant & fruantur paribus & ſcientia & poteſtate concedimus & declaramus &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 18 Maii 1521 Pontificatus noſtri anno nono.

Ceterum ut earumdem litterarum tenor prędictis ſic inſertus omnimodam rei ſive facti probationem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamdemque vim, & eumdem vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent originales litteræ ſupradictæ &c. Datũ Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 26 Maii 1526 Pontificatus noſtri anno tertio.

PIUS

Motu proprio.

Græci Siciliæ citra & ultra Pharum, aliique ſubiiciuntur juriſdictioni ordinariorum circa ea quæ ad Dei cultum, ſacramentorum adminiſtrationem, animarum ſalutem, & hæreſum extirpationem concernunt, dummodo ipſi Græci ab eorum ritu minime diſtrahantur.

Romanus Pontifex præcipuus æquitatis & religionis aſſertor, facultates & gratias ab Apoſtolica ſede conceſſas, ex quibus tempore procedente animarum pericula & inter Catholicos ſcandala provenire animadvertit, pro ſui paſtoralis officii debito mature revocare conſuevit.

Sane nonnulli locorum Ordinarii nuper ad audientiam noſtram referri curarunt, quod in quam pluribus Regni Siciliæ citra & ultra Pharum, & aliis

Chri-

Chriſtiani nominis civitatibus & locis magna Græcorum tam religioſorum & ſæcularium clericorum, quam laicorum multitudo reperitur, qui eccleſiæ Grecæ mores & ritus obſervantes, ſeque ſuos proprios ejuſdem nationis Prelatos habere, ac illis non autem locorum Ordinariis ſubeſſe, ſed immunitatum aliorumque privilegiorum ſibi per fel. rec. Leonem X. Paulum III. Julium etiã III. & forſan alios Pontifices prædeceſſores noſtros, & dictam Sedem antiquitus cõceſſorum prætextu, ſe ab eorumdem Ordinariorum juriſdictione & ſuperioritate exemptos eſſe prætendentes, impunitate ſibi propoſita, in diverſas hæreticas nefariaſque opiniones & abſurda deliramenta paſſim prolabuntur, aſſerentes inter alias eorum blaſphemias, nullum eſſe defunctorum Purgatorium, Romanum Pontificem aliquam in eos juriſdictionem vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo conceſſas damnantes, eccleſiaſticas ſententias

& cen-

& cenſuras ab eo latas ſpernentes, ſanctiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ, beatorumque Apoſtolorum, & aliorum Dei Sanctorum feſtivitates ab eccleſia Romana, ſanctiſque Patribus ordinatas non obſervantes, ſanctiſſimum euchariſtiæ Sacramentum ſuis infantibus in baptiſmo exhibentes, inhumata defunctorum cadavera, ſuperſtitione quadam impia & pluſquā barbarica, e ſepulchris eruentes igneque comburentes, Ordinariorum locorum, quos habitant, viſitationem, juriſdictionem contemnentes, & eccleſiaſticam diſciplinam perturbantes; ac demum hujuſmodi aliiſq; ſuis opinionibus erroneis atque ſacrilegis populos Latinos inficientes, correctionem legitimam ſuæ prætenſæ exemptionis clypeo repellentes, in ſuis impietatibus, abuſibuſque conſeneſcunt, & immoriuntur, in ſuarum vicinorumque populorum, præſertim ſimplicium animarum perniciem, & ſcandalum plurimorum.

Nos igitur provide conſiderantes ejuſdem ſedis intentionem &c. Motu proprio & ex certa ſcienta noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes & ſingulas exemptiones, ac prout illas concernunt, deſuper confectas litteras præfatas, ad hoc videlicet ut ipſi locorum Ordinarii quaſcumque Græcorum ecclesias &c. quoties opus fuerit, viſitare, ac in illis ſuam ordinariam juriſdictionem, plenamque & omnimodam ſuperioritatem in iis, quæ Dei cultum, ſacramentorum adminiſtrationem, & animarum ſalutem, hæreſumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi libere & licite valeant, reliquis ipſorum Grecorum in divinis celebrandis, aliiſque ritibns a Sede Apoſtolica approbatis, nec non privilegiis, & gratiis Apoſtolicis intactis remanentibus, caſſamus, & annullamus &c. Per hoc tamen non intendimus, quod ipſi Græci ab eorum Græcanico ritu diſtrahantur, vel alias deſuper quoquo modo per lo-

co-

eorum Ordinarios aut alios impediantur &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16 Febr. 1564 Pontificatus noſtri anno quinto.

PIUS V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Revocat facultates quomodolibet conceſſas Græcis, Latino ritu, & Latinis, Græco more celebrandi Miſſas, & divina Officia.

PRovidentia Romani Pontificis plurimum circumſpecta, nonnunquam ea quæ certis ſuadentibus cauſis per ejus prædeceſſores geſta ſunt, ex aliis non minus rationabilibus cauſis alterat, & ad priſtinum ſtatum reducit, prout æquitas ſuadet, & in Domino conſpicit expedire.

Sane cum ad notitiam noſtram pervenerit, quod nonnulli presbyteri tam

Græci, quam Latini antiquum S. R. E. ritum tam in celebratione Miſſarum, quam aliorum divinorum Officiorum pervertere ſatagentes, diverſas licentias & facultates Miſſas & alia divina officia, Græci Latino more, ac Latini Græco ritu, celebrandi ab Apoſtolica ſede vel ejus Legatis, ac etiam majore Pœnitentiario pro tempore exiſtente variis prætextibus impetrarunt, illiſque jam pridem utuntur, hoc ab antiquo Catholicæ Eccleſiæ inſtituto, ſanctorumque Patrum decretis deviare conſiderantes, propterea hunc abuſum ab Eccleſia Dei extirpare & ſubmovere volentes, omnes & ſingulas licentias & facultates hujuſmodi caſſamus, annullamus, & irritamus: quibuſvis presbyteris tam Græcis quam Latinis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac perpetuæ ſuſpenſionis a divinis, pœnis diſtrictius inhibentes, ne deinceps presbyteri Græci præcipue uxorati Latino more, & Latini Græco ritu, hujuſmodi licentia-

rum, & facultatum, aut alio quovis prætextu Miſſas, & alia divina officia celebrare, vel celebrari facere præſumant. Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarn. Dom. 1566. 13. Kal. Sept. Pontificatus noſtri anno primo.

GREGORIUS XIII.

Profeſſio ortodoxæ fidei a Græcis emittenda.

In hac præter articulos ex Synodo Florentina, alii ex Tridentina continentur.

SAnctiſſimus D. N. D. Gregorius &c. Ego N. firme credo & profiteor omnia & ſingula quę continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet.

1. Credo in unum Deum &c. *Vt in Symbolo Apoſtolorum.*

2. Credo etiam, ſuſcipio, atque profiteor ea omnia, quæ ſacra œcumenica

Synodus Florentina ſuper unione Occidentalis, & Orientalis Eccleſiæ definivit, & declaravit, videlicet quod Spiritus Sanctus &c. *Vt in Synodo Florentina.*

3. Item in azymo &c. *Vt ibidem.*

4. Item ſi vere pœnitentes &c. *Vt ibidem.*

5. Item ſanctam Apoſtolicam Sedem &c. *Vt ibidem.*

6. Inſuper profiteor, & recipio alia omnia, quæ ex decretis ſacræ œcumenicæ generalis Synodi Tridentinæ, ſacroſancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, etiam ultra contenta in ſupradicto fidei Symbolo, profitenda, ac recipienda propoſuit, atque præſcripſit, ut ſequitur.

7. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes, & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector.

8 Item ſacram ſcripturam juxta eũ ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero

ro ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum, admitto; nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor.

9. Profiteor quoque ſeptem eſſe & proprie ſacramenta novæ legis a J. C. D. N. inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

10. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

11. Omnia & ſingula quæ de peccato Originali, & de ſatisfactione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerant, amplector, & recipio.

12. Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem una cum anima & divinitate D. N. J. C., fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quã converſionem Catholica Eccleſiâ Tranſubſtantiationem appellat.

13. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

14. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas.

15. Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & re-

ti-

tinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam.

16. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

17. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpõdeo, ac juro.

18. Cetera item omnia a ſacris Canonibus, oecumenicis Conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia & ſchiſmata, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, anathematizo, & abjuro.

Hanc veram Catholicam fidem, ex-

tra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo.

Voveo, ac juro: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

CLEMENS VIII.

Inſtructio ſuper aliquibus Ritibus Græcorum pro epiſcopis Latinis, in quorum Diœceſibus Græci vel Albanenſes Græco ritu viventes degunt.

Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa octavus &c.

PResbyteri Græci baptizatos chriſmate in fronte non conſignent, & ideo

ab

ab ipſis in ordine baptiſmi apud eorum Euchologium prætermittantur quæ ſequuntur poſt illa verba, *& poſt orationem*, ubi habetur forma hujus conſignationis, uſque ad verba: *poſtea facit ſacerdos figuram circuli &c.*

1. Epiſcopi Latini infantes, ſeu alios baptizatos a presbyteris Græcis de ſancto chriſmate in fronte conſignatos confirment; & tutius videtur, ut cum cautela & ſub conditione id faciãt, videlicet N. ſi non es confirmatus, ego conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; præſertim vero cum veriſimiliter dubitari poteſt, quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati.

2. Sanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum quod pro infirmis aſſervatur, ſingulis octo diebus, aut ſaltem quindecim renovetur.

Non aſſervetur idem ſacramentum toto anno; ſi tamen aſſervatum fuerit, ſal-

ſaltem in fine anni ſumatur.

Tollatur abuſus tundendi, vel etiam miſcendi ſacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exſiccandi ſpecies Sacramēti ſacræ Euchariſtiæ feria quinta Cœnæ Domini, ut deinde illud aſſeruent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Epiſcopis Latinis conſecrata, bene erit; ſin minus, tolerentur eorum throni, ſive throni ſuper altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

Corporalia uti Latini habeant, niſi thronis etiam pro corporalibus utantur.

3. In caſu neceſſitatis, presbyteri Græci catholici poſſint Latinos abſolvere.

Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.

Tollendus abuſus, ubi eſt, ut vir atque uxor ſimul & eodem tempore eidem pre-

presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die menſis benedicta, conſervetur in Eccleſia, ut illa fideles aſpergantur.

Non ſunt cogendi Epiſcopi Græci olea ſancta præter chriſma ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum hujuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & ſacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur. Chriſma autem quod non niſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici poteſt, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab Epiſcopis Græcis externis ſchiſmaticis, ſeu S.R.E. communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

4 Ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis alias rite ordinatis, ſervata debita forma, recipiunt quidem ordinem, ſed non executionem.

Proinde ipſi ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, correcti vel emendati reconciliandi ſunt, & abſolvendi cum pœ-

ni-

nitentiis ſalutaribus; dummodo errores, vel ſaltem ſchiſma Ordinatoris abjurent in judicio, vel publice, vel ſecrete pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias ſuſceptis miniſtrare non permittantur, niſi cum ipſis ſuper irregularitate hujuſmodi occaſione contracta, auctoritate ſanctæ ſedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum.

Non ſunt admittendi Epiſcopi ſchiſmatici, ſive pro ordinibus, ſive pro aliis ſacramentis conferendis, ſed detinendi, quoad ſancta ſedes Apoſtolica deſuper conſulatur, & reſponſum habeatur.

Græci ſine literis dimiſſoriis Epiſcopi Latini Diœceſani ad ſacros ordines promoti, ſuſpenſi ſunt; & ſi ſuſpenſi in ſuis ordinibus miniſtraverint, efficiuntur irregulares, ſicut & Latini.

Super hujuſmodi autem & ſimilibus irregularitatibus diſpenſandi facultatem a ſancta ſede Apoſtolica obtineri oportet.

Si epiſcopus Latinus Græcum aliquem ordi-

ordinare voluerit, qui a presbytero Græco in baptiſmo chriſmate in fronte de facto fuerit conſignatus, debet illum antea confirmare, ſaltem ſub conditione videlicet, N. ſi non es confirmatus, &c. ut ſupra. Presbyteri vidui, ſeu uxoribus orbati habitum deferant diverſum ab aliis.

5 Curent ordinarii locorum, ut decretum ſacri generalis Concilii Tridentini de reformatione matrimonii vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis & parochiis Græcorum, & Albanenſium evulgetur, & publicetur.

Matrimonia inter conjuges Græcos dirimi, ſeu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & ſi qua de facto præceſſerunt, nulla & irrita declarent.

Maritus Latinus uxoris Græcæ ritum non ſequatur.

Latina uxor non ſequatur ritum mariti Græci.

Græca vero uxor ſequatur ritum mariti Latini.

Quod

Quod ſi id fieri non poſſit, quiſque conjugum in ſuo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

Proles ſequatur patris ritum, niſi prævaluerit mater Latina.

Presbyter Græcus conjugatus, ante ſacrum Sacrificium, ſeu ſanctam Miſſam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abſtineat ab uxore.

6. Græci credere tenentur, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, ſed non tenentur pronunciare, niſi ſubeſſet ſcandalum, præſertim ſi degant inter Latinos, aut neceſſitas poſtularet confitendi fidem Catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Nunquam Monachis Græcis, ſeu Calogeris animarum cura committatur, niſi ex neceſſitate vel alia juſta cauſa.

Presbyteri ſæculares Græci, abjuratis ſchiſmate & erroribus, atque in fide Catholica bene inſtructi, in parochialibus ſeu Curatis eccleſiis Græcorum inſtitui poſſunt.

To-

Tolerandus eſt apud Græcos & uſus carnium die ſabbati, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt, in locis tamen ipſorum, & inter eos tantum.

Item tolerandum eſt, ut ad jejunium eodem die ſabbati in Quadrageſima, excepto uno ſabbato ſancto, ex antiqua traditione non teneantur, ſed dumtaxat ad abſtinentiam.

In jejuniis biduanis, vel triduanis, vel aliis a Diœceſanis, vel in Jubilæis a ſummo Romano Pontifice indictis, dies ſabbati in eis comprehenſus, vel præſcriptus, in alium diem pro plebibus Græcis ab ipſis Diœceſanis, apoſtolica auctoritate Sanctiſſimi D.N.D. Clementis divina providentia Papæ Octavi permittitur commutari.

Si ipſi Græci ad obſervationem jejuniorum & vigiliarum Latinæ Eccleſiæ induci poſſent, optimum eſſet, ſed non cogantur, cum ipſi qualibet hebdomada, & feria quarta, & feria ſexta jejunent.

Græci exiſtentes inter Latinos, dies

feſtos de præcepto ejuſdem Latinæ Eccleſiæ ſervare teneantur.

7. Inſuper idem Sanctiſſimus D. N. conſtituit, Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adiacentium ſubjectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet.

8. Ita Sanctitas Sua ex ſententia Congregationis ſuper reformatione Græcorum decrevit, & declaravit, ac fieri mandavit.

Romæ apud S. Marcum die 31. menſis Auguſti, ann. Dom. 1595. Pontificatus ſui anno quarto.

UR-

Profeſſio Orthodoxæ Fidei ab Orientalibus facienda.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

1 EGO

firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. R. Eccleſia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, qui propter nos homines, & propter no-

ſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex MARIA Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſsus,& ſepultus eſt,& reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos,& mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre,Filioque procedit,qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

2 Veneror etiam, & ſuſcipio univerſales Synodos, prout ſequitur, videlicet:

1 Nicænam Primam, & profiteor quod in ea contra Arium damnatæ memoriæ

definitum eſt . Dominum Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris, natum, non factum, conſubſtantialem Patri: atque impias illas voces recte in eadem Synodo damnatas eſſe , quod aliquando non fuerit, aut quod factus ſit ex ijs, quæ non ſunt, aut ex alia ſubſtantia, vel eſſentia , aut quod ſit mutabilis , vel convertibilis Filius Dei.

3 Conſtantinopolitanam Primam , Secundam in ordine , & profiteor quod in ea contra Macedonium damnatæ memoriæ definitum eſt , Spiritum ſanctum non eſſe ſervum , ſed Dominum . non creaturam , ſed Deum , ac unam habentem cum Patre, & Filio Deitatem.

4 Epheſinam Primam , Tertiam in ordine , & profiteor quod in ea contra Neſtorium damnatæ memoriæ definitum eſt , Divinitatem , & humanitatem ineffabili , & incomprehenſibili unione in una perſona Filii Dei, unum nobis Jeſum Chriſtum conſtituiſſe , eaque de cauſa

Beatiſſimam VIRGINEM vere eſſe Dei Genitricem.

5 Chalcedonenſem, Quartam in ordine, & profiteor quod in ea contra Eutychem,& Dioſcorum, ambos damnatæ memoriæ definitum eſt: Unum, eundemque Filium Dei, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum perfectum eſſe in Deitate, & perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum ex anima rationali,& corpore, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem,& eumdem conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem abſque peccato,ante ſæcula quidem de Patre genitum ſecundum Deitatem, in noviſſimis autem diebus eundem propter nos & propter noſtram ſalutem ex MARIA VIRGINE Dei Genitrice ſecundum humanitatem; unum, eumdemque Chriſtum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiviſe, inſeparabiliter agnoſcendum, nuſquam ſublata differentia naturarum

Digitized by Google

carum propter unitionem, magiſque ſalva proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente, non in duas perſonas partitum, aut diviſum, ſed unum, eundemque Filium, & unigenitum, Deum Verbum Dominum Jeſum Chriſtum.

6. Item ejuſdem Domini Noſtri Jeſu Chriſti Divinitatem, ſecundum quam conſubſtantialis eſt Patri, & Spiritui ſancto, impaſſibilem eſſe, & immortalem; eundem autem crucifixum, & mortuum tantummodo ſecundum carnem, ut pariter definitum eſt in dicta Synodo, & in Epiſtola Sancti Leonis Romani Pontificis, cujus ore Beatum Petrum Apoſtolum locutum eſſe, Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia hæreſis illorum, qui Triſagio ab Angelis tradito, & in præfata Chalcedonenſi Synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis, addebant, Qui crucifixus eſt pro nobis; atque

adeo Divinam naturam trium perſonarum paſſibilem aſſerebant, & mortalem.

7. Conſtantinopolitanam Secundam, Quintam in ordine, in qua præfatæ Chalcedonenſis Synodi definitio renovata eſt.

8 Conſtantinopolitanam Tertiam, Sextam in ordine, & profiteor quod in ea contra Monothelitas definitum eſt. In uno eodemque Domino Noſtro Jeſu Chriſto duas eſſe naturales voluntates, & duas naturales operationes indiviſe, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſe, & humanam ejus voluntatem non contrariam, ſed ſubjectam Divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.

9 Nicænam Secundam, Septimam in ordine, & profiteor quod in ea contra Iconoclaſtas definitum eſt: Imagines Chriſti, ac DEIPARÆ VIRGINIS, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

10 Conſtantinopolitanam Quartam, Octa-

Octavam in ordine, & profiteor in ea Photium merito fuiſſe damnatum, & Sanctum Ignatium Patriarcham reſtitutum.

11 Veneror etiam, & ſuſcipio omnes alias univerſales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, & confirmatas, & pręſertim Florentinam Synodum, & profiteor quæ in ea definita ſunt, videlicet:

12 Quod Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter, tamquam ab uno principio, & unica ſpiratione procedit.

13 Item dictionem illam (Filioque) veritatis declarandæ gratia, & imminente neceſſitate, licite, ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.

14 Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſq; in alterutro ipſum Domini Corpus conficere debere, unum-

quem-

quemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.

15 Item ſi vere pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari, & ut a pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtituta: Illorumque animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum Trinum, & Unum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mor-

tali

tali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas.

16 Item Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſq; Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino Noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam, ut eadem Florentina Synodus aſſerit, in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.

17 Item legalia Veteris Teſtamenti, ſeu Moſaicæ Legis Cęremonias, Sacra, Sacrificia, & Sacramenta, Domino Noſtro Jeſu Chriſto adveniente ceſſaſſe, & poſt promulgatum Evangelium, ſine peccato obſervari non poſſe. Ejuſdem

etiam

etiam Legis Veteris ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad ceremonialia pertinere, quæ ſurgente Evangelio, tranſierunt.

18. Illam etiam Apoſtolorum prohibitionem, ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, illi tempori congruiſſe, ut inter Judæos, & Gentiles diſſenſionis materia tolleretur, cujus Apoſtolicę prohibitionis cauſa ceſſante, etiam ceſſavit effectus.

19. Pariter veneror, & ſuſcipio Tridentinam Synodum, & profiteor, quæ in ea definita, & declarata ſunt, & pręſertim offerri Deo in Miſſa verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in Sanctiſſ. Euchariſtię Sacramento (juxta fidem, quę ſemper in Eccleſia Dei fuit) contineri vere realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum anima, & Divinitate D. N. Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, fierique converſionem totius ſubſtantię panis in Corpus,

&

& totius ſubſtantię vini in Sanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime tranſubſtantiationem appellat, & ſub unaquaque ſpecie, & ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri.

20 Item ſeptem eſſe Novę Legis Sacramenta a Chriſto Domino noſtro inſtituta ad ſalutem humani generis, quãvis non omnia ſingulis neceſſaria, videlicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem iterari non poſſe.

21. Item Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, ac proinde ſi mortis periculum immineat, mox ſine ulla dilatione conferendum eſſe, & a quocumque, & quandocumque ſub debita materia, forma, & intentione collatum, eſſe validum.

Item Sacramenti Matrimonii vinculum

lum indiſſolubile eſſe, & quamvis propter adulterium, hæreſim, aut alias cauſas poſsit inter conjuges thori & cohabitationis ſeparatio fieri, non tamen illis aliud Matrimonium contrahere fas eſſe.

23 Item Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones ſuſcipiendas eſſe, & venerandas.

24 Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe.

25 Pariter, quæ de peccato originali, de Juſtificatione, de ſacrorum librorum tam Veteris, quam Novi Teſtamenti indice, & interpretatione in prædicta Tridentina Synodo diffinita ſunt, ſuſcipio, & profiteor.

26 Cetera item omnia ſuſcipio, & profiteor, quæ recipit, & profitetur Sancta Romana Eccleſia, ſimulque contraria omnia, & ſchiſmata, & hæreſes ab eadem Eccleſia damnatas, rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

27 Inſuper Romano Pontifici B. Petri Principis Apoſtolorum Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro.

28 Hanc fidem Catholicæ Eccleſiæ, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime; Deo adjuvante retinere, & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem ſpondeo, voveo, & juro.

Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PON-

PONTIFICES,

QUORUM DECRETA

In hoc Enchiridio afferuntur.

HAdrianus I.	pag. 1.
Leo IX.	p. 6.
aliud	p. 9.
Gregorius VII.	p. 11.
Celeſtinus III.	p. 13.
Innocentius III.	p. 16.
aliud	p. 18.
aliud	p. 20.
aliud	p. 22.
aliud	p. 24.
aliud	p. 25.
Gregorius IX.	p. 27.
Innocentius IV.	p. 35.
Alexander IV.	p. 51.
Gregorius X.	p. 65.
Eugenius IV.	p. 76.
Leo X. & Clemens VII.	p. 85.
Pius IV.	p. 95.
Pius V.	p. 99.
Gregorius XIII.	p. 101.
Clemens VIII.	p. 106.
Urbanus VIII.	p. 115.

FINIS.

G 2017963

Digitized by Google

5-7

Digitized by Google

BIBLIOTECA